N.IV.c
18

14389/A

Wants 6 leaves at beginning

WELLCOME HISTORICAL MEDICAL LIBRARY

RESPONSIO
AD CENSURAM LIBRI DE NATURA ET POTESTATE DÆMONIS.

DATA

Anno 1773.

A

P. R.D JOANNE BOHOMOLEC

PRÆPOSITO PRAGENSI

Et SKARYSZOVIENSI.



VARSAVIÆ

Impreſſa cum facultate Superiorum Anno 1775

Impenſis MICHAELIS GRÖL.

80655

Z BIBLIOTEKI № 547 A. WOLANSKIEGO

Ex Mandato Jlluſtriſſimi Excellentiſſimi Reverendiſſimi Domini Loci Ordinarii, Librum, qui inſcribitur, *De natura & Poteſtate Dæmonis*, omni, quâ par erat diligentiâ, attentus relegi: In quo tantum abeſt, ut quidpiam aut Fidei, aut bonis moribus contrarium repererim, quin potius pulcherrimam ingeniô, ac labore Authoris, omnis reconditioris literaturæ; Antiquitatis, ſanioris Philoſophiæ, ac ſolidæ Theologiæ falſam vulgi ſuperſtitionem eruditè confutantis, uberrimè eó congeſtam ſegetem, mirum in modum ſuſpexerim. Haud minori quoque diligentiâ luſtravi locos ejuſdem Libri cenſoriâ virgulâ notatos, cum Reſponſis Authoris, ad eoſdem locos. Quibus ille Reſponſis, non minus doctè, quàm copioſè (ſi leviora quædam excipias menda, quæ Typographi fugerunt diligentiam, quæque adjicienda ſunt ad alterum Volumen) objecta ſibi ſolide diluit, & Illuſtravit; Librumque ſuum ita in tuto repoſuit, ut nihil omnino ſit quod moretur, quin memoratus Liber: *De natura & Poteſtate Dæmonis*, ob incredibilem utilitatem, & ſingularem eruditionem, Juris publici quam primum fiat. Quodſi vero Author, obiectis non nihil fortaſſe reſpondit liberiùs in cauſa eſt: non immemorem Eum fuiſſe illius Hieronymiani in Epiſt: ad Auguſtinum *Si culpa eſt reſpondiſſe, quæſo ut patienter audias, multò major eſt provocaſſe. Sed faceſſant iſtiuſmodi quærimoniæ; ſit inter Nos pura germanitas, & deinceps non Quæſtionum, ſed Caritatis inter Nos ſcripta mittamus.* In quorum fidem dabam præſentes Varſaviæ d. 17. Octobris 1773. Anno.

Paulus Fischer Schol: Piar: Profeſſor Theol: Cenſor Librorum *mp.*

RE - IMPRIMATUR

Andreas Stanislaus Epiſcopus.

neant errores contra fidem, & licet aliqua unam Hæreſim impugnent, aliam tamen inſinuant.

EXAMEN CENSURÆ,

CENSURA. *Propoſitio hæc ſecundo puncto contenta, & accepta de omnibus ſcriptis Apocryphis videtur eſſe falſa.* R. Et accipi ſic poteſt N. go. Quis non dico Theologorum, ſed rudiſſimorum hominum non videt ſenſum hujus propoſitionis hunc eſſe: *libri, licet cætera boni, damnati ſunt, & damnantur ab Eccleſia; quia doctrinam humanam pro verbo DEI venditabant:* porro quis inde inferet? ergo omnes libri Apocryphi ſanam doctrinam continebant. Cum dicimus: Eccleſia eo ſolo nomine libros damnat, quia Authores habent Hæreticos, præſertim ſi tractant de Religione, licet nullos contineant errores : rectene potes hinc inferre: Ergo nullus liber Hæreticorum continet errores. Primum ego aſſero: alterum tu infers. Mea propoſitio hæc eſt: *Eccleſia damnavit libros, cætera bonos, quia ſcripti ſunt nomine hominum a DEO inſpiratorum.* Cenſor infert: Ergo *nullus talium librorum continebat errores,* quis tam tortuoſam diſputandi rationem non miretur in Theologo?

CENSURA. *Plurima Apocrypha continent errores contra fidem. Et licet aliqua unam Hæreſim impugnent, aliam tamen inſinuant.* RES: Quis hoc negavit? Fortaſſe *per plurima* voluit Cenſor exprimere omnes libros Apocryphos continere aliquam Hæreſim. Sed quæſo, quo argumento id probabit? quam Hæreſim continent Acta Pilati, Liber *3tius* Eſdræ, imo etiam *4tus* &c. Nam licet faveat errori millenariorum, opinio tamen

hæc

hæc, quam plures Patres docuerunt, non fuit Hæreſis ante definitionem Concilii? Authoritate hujus libri utebantur Græci Patres fere omnes: S. Hieronimus non inter Hæreticorum commenta, ſed inter *ſomnia* illum recenſet. Quid jam dicam de aliis Libris, quibus SS. PP., tanquam Divinis, ſunt uſi?

Si mihi & liceret agere cenſorem cenſorum meorum, & liberet tam ſeverum eſſe, videor jure meliori poſſe dicere: Hanc propoſitionem *in primordiis Eccleſiæ Catholici ſanctiſſimi fuerunt* 1. Eſſe *ſcandaloſam*: Nam Hæreticis præbet occaſionem credendi primitivam Eccleſiam aut ex ſolis conſtitiſſe Prædeſtinatis, aut malos ad illam non pertinuiſſe: præſertim cum iis tribuatur ſanctitas tanta, ut non potuerint etiam bonâ fide uti fraude piâ 2. Eſſe *Hæreticam*. Propoſitio enim hæc eſt indefinita, atque ita illimitatè, accipitur, ut ſupponas: nullum fuiſſe ex iis, qui bonâ etiam fide pie aliquid fingere potuerit. Hæc vero propoſitio *omnes primitivæ Eccleſiæ Catholici fuerunt ſanctiſſimi* accepta in ſenſu, quem illi tribuis, contraria eſt toti novo Teſtamento: nam conſtat: Judam non fuiſſe ita ſanctiſſimum, nec *Corinthium inceſtuoſum*, neque illos, quibus exprobrat S. Paulus: *alius ebrius eſt, alius eſurit*: neque illos, qui *transferebantur citò ab eo, a quo vocati erant?* neque eos, quos vocat *inſenſatos*: neque illos, qui *injuriam non patiebantur, quique eam aliis inferebant, qui pauperes contemnebant*: neque illos, de quibus S. Jacobus: *Concupiſcitis, & non habetis, occiditis, & zelatis, & non poteſtis adipiſci, litigatis, & belligeratis.* &c. Si primi Chriſtiani ſanctiſſimi fuerunt, cur tam ſeveri penitentiæ canones ſunt conditi? An

Cerinthus, Ebion, Nicolaus, Baſilides, Carpocrates, Valentinus, Cerdon, Martion &c. dum erant in gremio Eccleſiæ ſanctiſſimi fuerunt? 3. Eſſe, ſi non *blaſphemam*; *at injurioſam* B. Virgini, S. Joſepho, Joanni Baptiſtæ, quo non ſurrexit major, & Apoſtolis quod ſic probo.

Per primos Chriſtianos intelliguntur Catholici trium primorum ſæculorum: atqui dicere illos fuiſſe ſanctiſſimos, eſt idem ac dicere, fuiſſe æque ſanctos, aut ſanctiores, quam Beata Virgo, Apoſtoli &c. At, inquies, non in hoc ſenſu te dicere. Credo: verum hæc tua propoſitio per nihil limitatur: imo tribuis ſanctitatem primis Catholicis tantam, ut ne per ignorantiam peccare potuiſſe dicas: meæ vero propoſitiones limitantur tum ex ſcopo, tum ex materia ſubjecta, tum ipſis verbis & tamen tu illas illimitate accipis.

Concludo hanc Reſponſionem verbis Calmeti initio Diſſertationis *de Actis Pilati ad Tiberium. Tantus fuit in ipſis Eccleſiæ Chriſtianæ crepundiis Apocryphorum, & pravorum librorum obtrudendorum pruritus, atque licentia, ut monſtri loco haberi non poſſit, ſi tot occurrant viri ſuſpicioſi plurimum caventes. ne aliquod omnino eorum admittant Eccleſiæ authoritate non receptum: quamquam alioqui ætate illa ſatis vulgatum..... Tot in Eccleſiaſticam eruditionem mala invexit* (NB) *præpoſterus zelus, minus cauta ſimplicitas. opinionis alicujus ſingularis urgendæ amor, ac tandem in erroribus aſſerendis pervicatia.* Cujus erat *zelus præpoſterus?* Catholicorum: ergo non ſoli Hæretici Authores fuerunt Apocryphorum:

LOCUS LIBRI.

PAG: *65.* *Nro. 3.* Eccleſia non præcipit, ut credamus eſſe, & fuiſſe arreptitios concedo: neque tamen concedit, ut quilibet &c.

CENSURA

I Quamvis verum ſit Eccleſiam non præcipere, ut credamus arreptitios eſſe, aut, fuiſſe falſum tamen eſt non præcipere ut credamus (*ſaltem implicite credendo ſcilicet omnia a Deo revelata*) fuiſſe arreptitios: cum id expreſſe in ſacris libris contineatur, ut probat ipſe Author Pag: 45. 46, 47. 2do ipſe Author *Pag*: 45. 56. ait: licet Eccleſia non obliget ad credenda ea, quæ vetulæ, & ſubinde ſenes in hoſpitalibus degentes, dicunt, diſpenſare tamen non poteſt a credendis hiſcé duobus 1*mo*. Quod poſſint eſſe arreptitii. 2do. quod fuerint arreptitii: ergo Author ſupponit obligationem eſſe credendi arreptios fuiſſe. 3*tio*. Tridentinum ſeſſ: *4ta* in decreto de Editione, & uſu ſacrorum librorum prohibet ſcripturam ad ſuum ſenſum detorquere contra ſenſum Eccleſiæ, & SS. PP. interpretationem &c, ex quo conficitur: *qui interpretatur ſacram Scripturam contra ſenſum Eccleſiæ, & unanimem SS, PP. conſenſum tranſgreditur præceptum Eccleſiæ: cum Tridentinum velit puniri tranſgreſſores: atqui negans fuiſſe arreptitios ſic interpretaretur ſacram Scripturam, ergo tranſgrederetur præceptum Eccleſiæ.*

RESPONSIO.

Qui negant fuiſſe arreptitios alij admittunt Evangelium, ſed non Eccleſiam, ut Hæretici: alij admittunt utrumque ut Catholici, alii denique neutrum: ſed tamen utroque utuntur ad

ſtabiliendos ſuos errores , quales ſunt Libertini &c: Porro tam Hæretici, quam Catholici, ac Libertini, negantes arreptitios hoc utuntur argumento. *Scriptura loquens de arreptitiis poteſt intelligi, & explicari de ægris, imo debet ita explicari: nam & impoſſibile eſt homines a Dæmone agi, & inconveniens eſt, ut Deus id permittat. & Eccleſia nec dum definivit fuiſſe, aut poſſe eſſe arreptitios: Ergo non ſolum non eſt de fide, ſed ne certum quidem fuiſſe arreptitios.* Hoc eſt illorum argumentum.

Ad quod reſpondendo oſtendo 1*mo*. Non poſſe intelligi textus Evangelii clariſſimos de morbis. 2*do* nec debere ſic explicari, cum hoc nec impoſſibile, nec inconveniens ſit. 3*tio* Et licet Eccleſia non definivit fuiſſe arreptitios, prohibet tamen arbitriô ſuô interpretari Scripturam.

Quid igitur hic vitio vertitur? Examinemus, ipſum locum libri, quem neſcio cur non totum Cenſor recitaverit, & patebit alterutrum è nobis in ſole ambulare, & lucem quærere. Tu dicis: *Non definivit Eccleſia fuiſſe arreptitios*: ego concedo *non præcepiſſe Eccleſiam credere* quod fuerint, aut poſſint eſſe arreptitii. At quid eſt amabo *non definivit Eccleſia?* idem inquis, *ac non præcepit credere.* Quando enim definit aliquid Eccleſia credendum, utitur his verbis *præcipimus, jubemus, mandamus. firmiter credimus, anathema dicimus contrarium* &c. Tu dicis: at præcipit Eccleſia *credere implicite*: ego vero dico *ſed non poteſt diſpenſare a credendo Scripturæ S. & non permittit , neque concedit, ut quilibet Scripturæ ſacræ verba ad ſuum ſenſum detorqueat?* quid eſt *præcipere implicite?* eſt agnoſcere Scriptu-

 ram

ram pro verbo DEI, & prohibere verba illius ad ſuum ſenſum detorquere: quid eſt *non permittere, non concedere Eccleſiam verba Scripturæ* ad ſuum ſenſum detorquere, ita ut nequidem poſſit in hoc diſpenſare? idem eſt ac agnoſcere Scripturam pro verbo DEI, et non permittere ut eam ad arbitrium noſtrum exponamus. En ipſe libri locus legamus totum.

„ Eccleſia non præcipit credere, & fuiſſe,
„ & poſſe eſſe arreptitios: *hoc eſt non defini*
„ *vit* (hæc eſt objectio adverſariorum) ad quam
„ Reſpondeo: Concedo: at non permittit, ut qui-
„ libet verba Scripturæ ad ſuum ſenſum detor-
„ queat: illius vero interpretandæ hanc regu-
„ lam proponit: cum Scriptura ſacra loquitur
„ de re aliqua, quæ neque rationi, neque veritati
„ evidenti, neque rebus revelatis, neque perfe-
„ ctionibus Divinis, neque bonis moribus oppo-
„ nitur, tunc verba illius accipienda ſunt juxta
„ communem verborum ſignificationem. Eſt
„ ne contrarium aut rationi, aut evidenti veri-
„ tati, aut rebus revelatis, aut perfectionibus Di-
„ vinis, credere: Dæmonem interdum habere
„ poteſtatem torquendi, & ad terram allidendi
„ homines, idque aut in pænam, aut ad experi-
„ mentum patientiæ? Dum ergo Scriptura clare
„ nitideque narret, & affirmet: Dæmonem
„ iſtud imperium in homines exercuiſſe, non
„ poſſumus ab hoc ſenſu verborum diſcedendo
„ contrarium opinari ſine *culpa, & infidelitate*
„ *Nota* hæc verba ſine *culpa*, *& infidelitate*.
Quid eſt ſine *culpa?* hoc eſt ſine violatione præcepti Eccleſiæ prohibentis ſcripturam ad ſuum ſenſum detorquere. Quid eſt ſine *infideli-*

tate

tate? idem ac ſine *diſcrimine fidei.* Aut ergo uterque rogum conſcendamus, aut ſi te urit idem te mecum dicere fateare eſt neceſſe.

At ego plus adhuc dico: nam præmiſi *non poſſe Eccleſiam diſpenſare a credendo, & fuiſſe, & poſſe eſſe arreptitios*, Quid, eſt non poteſt Eccleſia diſpenſare? idem eſt ac dicere: ita ab Eccleſia proponi Scripturam pro regula Fidei, atque ita præcipi, ut illi credamus, ut ne ipſa quidem te aut velit, aut poſſit diſpenſare a credendo: proinde ſi te non movet authoritas Eccleſiæ, ipſum lumen rationis cogit, ut credas fuiſſe, & poſſe eſſe arreptitios, dum Scripturam ſacram pro verbo DEI agnoſcis. Deinde multis argumentis probo, Scripturam id aſſerere, & ita aſſerere: ut non poſſit intelligi de morbis, niſi ſimul impie exiſtimando Chriſtum nos voluiſſe in errorem inducere. Poſtremo argumenta negantium arreptitios diluo: Quid igitur, quæro iterum, mihi vitio vertitur? forte quod non ſim uſus terminis *explicite, implicite*, aut termino *definivit*, qui in noſtra lingva nec exponi, nec intelligi poſſunt. Uſus ſum tamen terminis clarioribus, & idem ſignificantibus.

Forte contradictionem tibi aliquam viſus es obſervare? verum in tua cenſura major eſt pugna verborum, ſcilicet: *præcipit, & non præcipit.* Dirimo, inquis, hanc pugnam ſvaviſſimis verbis *implicite, explicite:* ego vero nec committo, nec dirimo, ſed evito dicendo: non præcipit Eccleſia credere fuiſſe arreptitios, at prohibet ad ſuum ſenſum detorquere verba Scripturæ, quæ ut demonſtravi clarè nitideque pronunçiat fuiſſe arre-

pti-

ptitios. Non ſolum itaque ſuppono, ſed probo dari obligationem credendi fuiſſe arreptitios, non quidem propter definitionem Eccleſiæ, quæ non extat, ſed propter authoritatem Scripturæ ſacræ ut teſtantis, & authoritatem Eccleſiæ prohibentis Scripturam ad libidinem interpretari: Multa poſſem dicere de argumento petito ex Tridentino, ſed non vacat in re clara immorari. Iuvat tamen claritatis gratia hoc adhuc addere. Si negans arreptitios ſic tibi reponeret: Non violant præceptum Eccleſiæ Aſtronomi, & Philoſophi, etiam Jeſuitæ, in omnibus iam Univerſitatibus docentes Syſtema Copernicanum, licet Scriptura S. apertiſſime pronunciet: *terram ſtare, ſolem vero oriri, & occidere, & ad locum ſuum reverti, atque gyrare per meridiem.* Eccleſi: 1. v. 4. & 5. Schola Auguſtiniana ſine iactura fidei, & obſequii docet: unico momento Cælum, & terram eſſe creata, licet Scriptura S, clariſſime narret mundum per ſex dies conditum fuiſſe: Ergo nec ego violo præceptum Eccleſiæ negando arreptitios. Forte torqueret te hoc argumentum, me vero minime. Nam oſtendi nullam illum poſſe habere rationem recedendi ab obvio ſenſu verborum Evangelij. Paucis verbis reſponſionem meam complector: Tu dicis: *Tridentinum prohibet Scripturam ad ſuum ſenſum detorquere*: ego dico *Eccleſia non poteſt diſpenſare a credendo Scripturæ clare aliquid aſſirmanti:* Tibi Hæreticus, neſcio quid, negare audebit, mihi non audebit. Tu dicis non præcipit Eccleſia *explicite*, at præcipit *implicite*. Ego dico: *non præcipit Eccleſia credere fuiſſe arreptitios, at præcipit credere Scripturæ quæ teſtatur fuiſſe arreptitios, & prohibet illius*

ver-

verba ad ſuum ſenſum detorquere: te nullus, niſi Theologus, capit, me rudiſſimus quivis intelligit: Tu tamen laureatus cum tuis verbis *implicite, explicite* cathedram conſcendis, me pyram ſcandere jubes: quam porro ob cauſam? quia & *explicite,* & *implicite* fortior me es.

LOCUS LIBRI.

PAG: 103. Chriſtus Dominus dicebat ad Judæos: *Si opera non feciſſem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent* Joan: 15. v. 24. Et revera ipſa tantum miracula Chriſti damnabant infidelitatem Judæorum. Argumenta enim ex Prophetis deſumpta evidenter non demonſtrabant eo tempore, quo Chriſtus apparuit Eum eſſe Meſſiam. Prædixerant Prophetæ a DEO mittendum Prophetam, & Salvatorem, deſcripſerunt tempus, & circumſtantias adventûs, ſed non dicebant, nec clare oſtendebant: Chriſtum natum imperante Auguſto Cæſare eſſe Jllum Prophetam prædictum. Miracula ſola oſtendere debuerant hunc eſſe, de quo dicebant Prophetæ: adeo: ut ſi Chriſtus Dominus miracula non feciſſet, nullus eo vivente ad credendum in Eum, tanquam verum Meſſiam eſſet obligatus.

CENSURA

Cum totus ſermo ille Chriſti, quem refert S. Joan: c, 14. 15. 16. ſit habitus poſt ultimam cænam ad ſolos tunc præſentes Apoſtolos, non ad Judæos communiter, licet de Judæis, erat ponendum *ad Diſcipulos,* non ad Judæos. Quamvis enim Apoſtoli fuerant ex Judæis, prout etiam Scribæ, & Phariſæi, tamen ſpecialiter ijs dicta

cta, dicere, eſſe dicta Judæis eſt inuſitatus modus loquendi. 2do *Et revera ipſa tantum miracula &c.* Hæc propoſitio, ut pote excluſiva, ita explicatur: miracula Chriſti damnabant infidelitatem Judæorum, & nihil aliud, itaque neque adventus Magorum, & inquiſitio in Jeruſalem Chriſti nati, nec adoratio ejuſdem in Betlehem, nec annuntiatio ejus nativitatis Paſtoribus facta per Angelos, & ejuſdem annuntiationis per Paſtores divulgatio, nec prophetia Simeonis, nec Annæ Propheti ſſæ confeſſio, nec vox Patris de cælo, nec prædicatio, & doctrina Chriſti, &c. damnabant infidelitatem Judæorum. Aſt nimis hæc ſunt dura? 3. *Prophetæ non dicebant* &c. hæc propoſitio utpote negativa explicatur & a Philoſophis, & a vulgo ita: *Nullus Propheta nec iſte, nec iſte,* &c. clare oſtendit: atqui hoc eſt falſum: nam S. Joannes Baptiſta, qui non tantum fuit Propheta, ut inter alios Zacharias Pater ejus prædixerat, ſed etiam plus quam Propheta dicente Chriſto, prædixit adventum Chriſti Joan: 10.26. Math: 3. *v.* 11. Lucæ 3. *v.* 16 & oſtendit clariſſime eſſe hunc, & non alium legenti c. 1. Evangelij S. Joan: apertiſſimum eſt, maxime ex *v. 7. 15. 29. & 34.* 4to. *Si Chriſtus Dominus &c.* loquitur Author de illis miraculis, quorum initium fecit Chriſtus *Joan: 2 v. 11.* nam adducta ex Joan: c. 15. v. 24. verba Chriſti, quæ Author pro fundamento ſuæ aſſertionis ponit, de his miraculis ſunt intelligenda. Aſt *1mo* etſi verum ſit: miracula vere talia, evidens eſſe motivum credibilitatis illius veritatis, in cujus confirmationem fiunt, non ſunt tamen unicum, & ita neceſſarium motivum, ut ſine illo alia non ſufficiant ad inducendam

obli-

obligationem credendi, ut notum Theologis. Hinc de-facto multi non viſis miraculis Chriſti in Eum crediderunt, ut S. Joſephus ab Angelo admonitus Math: 1. S. Eliſabeth viſitata a B, V. Maria Lucæ 1. Jtem: Joan: c. 1. *v*. 41. Andreas dicit Simoni: *in venimus Meſſiam (quod eſt interpretatum Chriſtus,) & adduxit* Eum ad JESUM. & v. 45. Philippus dicit ad Nathanael: *quem ſcripſit Moyſes in lege, & Prophetæ, invenimus JESUM filium Joſeph a Nazareth.* Et v. 49. reſpondit ei Nathanael, & ait: *Rabbi, Tu es filius DEI, Tu es Rex Jſrael.* Et *v*. 50. reſpondit ei Jeſus, & dixit: *quia dixi tibi, NB. vidi te ſub ficu, credis, majora his videbis.* Atqui hi non viſis miraculis Chriſti in eum credendo non elicuerunt actum ſupererogatorium, ergo debitum: ergo obligabantur ad credendum in Chriſtum ſine miraculis. 2do verum quidem eſt, Chriſtum dicere: *ſi opera non feciſſem &c:* ſed præmiſerat Chriſtus *v*. 22. *ſi non veniſſem, & locutus fuiſſem eis, peccatum non haberent.* Maldon: in v. 24. colum: 1652. ſub E, ait: *Docuerat v. 22. nullam eos peccati excuſationem habere, quia docenti non crediderant, docet nunc multo minorem habere, quod non crediderant tot tantaque in ipſorum oculis miracula facienti.* Fran: Toletus in verſum 22. ait: *At adventus meus, & prædicatio mea omnem tollit illis excuſationem, & prætextum, ut a culpa, & peccato ſe nequeant excuſare?* Aug: Tract: 89. *ad peccatum infidelitatis refert, tamen accomodatius ad peccatum odij, & perſecutionis, & ignorantiæ craſſæ ſeu infidelitatis ſimul referendum eſt, ut Euthymius: his enim omnibus peccaverunt, quia locutus eſt, ſi autem non eſſet locutus, a culpa in his excuſarentur. Et in*

v.

v. 24 ait: Advertendum non eſſe eandem rationem omnium Judæorum: turbæ enim, ut ignorantes homines, non ſolum ſimplici prædicatione, ſed operibus etiam trahendi erant, aliquam excuſationem habere potuerunt nondum miraculis editis, quâ caruerunt, poſtquam acceſſit tantorum operum teſtimonium. At majores Judæorum Principes, & Doctores etiam verbis, & prædicationi credere debuerant non expectatis miraculis, qui tanto gravius poſtea deliquerunt, quanto miris etiam editis operibus pertinaciores fuerunt in ſua incredulitate, nec tantum noluerunt credere, ſed etiam perſecuti ſunt, quem etiam ſumme venerari debuerant. Hoc ſuppoſito reſpondeo: hiſce verbis Dominum voluiſſe tollere omnem excuſationem toti Judæorum cœtui. Priora enim verba, v. 22 ſunt contra Majores, Principes, Doctores & Phariſæos, qui poſtquam locutus eſt Dominus, ſeque annuntiavit excuſationem non habuerunt: quippe, qui credere debuerant: poſteriora autem v. 24 ſunt contra turbas etiam, ignorantes, & ſimplices, quibus non credentibus, opera Chriſti tollunt omnem peccati, & incredulitatis excuſationem: quanquam eorum, qui majores erant, ſupra modum augeant incredulitatem: ſi enim minores a culpa non excuſantur propter opera Chriſti in eis facta, multo minus Majores. Hic eſt legitimus ſenſus harum duarum ſententiarum. Ita & recte Toletus 3tio Chriſtus Joan: 40 v. 48. ait: *niſi ſigna & prodigia videritis non creditis.* Quæ verba explicans Toletus 419. Annot: 27. ait. Difficilis hoc loco occurrit quæſtio, quâ videlicet ratione Dominus Regulum hunc reprehendat, quod ſine miraculis non credat, cum tamen ipſemet doceat, & fateatur,

Ju-

Judæos non habituros peccatum non credentes ei, ſi non feciſſet miracula Joan: 10. *Si non facio inquit opera Patris mei nolite mihi credere.* Et Joan: 15. *Si non veniſſem, & opera non feciſſem, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent:* non igitur dignus reprehenſione videtur Regulus, ſi ad credendum miracula expectet. Præterea, quod etiam Author in defenſionem ſuæ ſententiæ dicere poſſet: quia per Prophetas Chriſtum miracula facturum multa prædictum erat, idque in ſignum quoddam, ut eum agnoſcerent. Quod ex multis locis conſtat, eſtque inſignis locus ille Iſaiæ 35. *DEUS. inquit, veniet & ſalvabit nos, tunc aperientur oculi cœcorum & aures ſurdorum patebunt, tunc ſaliet velut cervus claudus, & aperta erit lingua mutorum.* Non igitur Judæi obligati videbantur credere Chriſtum eſſe Meſſiam niſi miracula viderent. Hujus difficultatis reſolutio neceſſaria eſt. Verum, ut non ſolum hujus loci, ſed aliorum multorum intelligentiam habeamus nonnulla oportet proponere. *Primum eſt*: Judæi, qui veram notitiam habuerunt teſtimonii Joannis Baptiſtæ de Chriſto perhibiti tenebantur ſub gravi peccato credere Eum eſſe Chriſtum, quem Joannes oſtendebat, & non credentes lethale peccatum committebant: hoc ſuperius in c. 1. Annotationibus tractavimus, & facile probatur illo Joan: 1. *Fuit homo miſſus a DEO, hic venit in teſtimonium. ut teſtimonium perhiberet de lumine, ut omnes crederent per illum.* Si a DEO miſſus eſt in teſtimonium, profecto dignus fuit fide, & ſufficientem a DEO accepit authoritatem, ut ei crederetur: aliter vanum ejus eſſet teſtimonium. Secundum eſt: etiam ſecluſo hoc

te-

teſtimonio, prædicatio Chriſti ſola ſine miraculis obligabat Judæos ſub peccato gravi ad credendum: hoc ex Joan: 15. verbis probatur: *Si non veniſſem &c.* Igitur prædicatio, & ſermo Chriſti obligabat eos ad credendum, & non credentes peccabant. Ratio autem hujus eſt: nam Chriſtus verus DEUS, & homo, quando prædicabat, & ſermonem ſuæ doctrinæ diffundebat, non ſolum aures, & ſenſus movebat, ſed Divino motu interius corda excitabat, ita, ut qui vellent poſſent credere, nec eis deerat auxilium neceſſarium niſi libero ſuo repugnaſſent arbitrio. Et hæc eſt una inter alias cauſa, quod Dominus Samaritanos (*Joan: 4.*) ſine miraculis converterat, & *Diſcipulos, ſeu Credentes* in Eum aliquos ante miracula habuit, ut ſermonem atque prædicationem ſufficientem fuiſſe ad credendum oſtenderet, & quod defectus non credendi non ex parte ſua, ſed ex Judæorum malitia proveniebat, conſtaret, qui non ſolam doctrinam, ſed etiam miracula, & magna miracula habuerunt. *Tertium* eſt: quod Judæi audito Joannis teſtimonio, aut ſermone Chriſti etiam ante miracula; quæ de ipſo prædicta erant, non credentes, non excuſabantur a peccato ea de cauſa: quia nondum Chriſtus illa miracula operatus fuerat: nam tanto teſtimonio accepto expectare debebant, quæ ſupererant etiam facienda, ut credere debuerant Joanni, & Chriſto ipſi, prædicanti ipſum eſſe Meſſiam, ſimul credere debuerant facturum omnia, quæ per Prophetas prædicta erant. Quo dicto reſpondetur ad argumentum ſuperius factum: Erant quidem prædicta miracula in Scripturis, ſed non erant expectanda, ut crederent, ſed tanto teſti-
monio,

monio ſtatim habenda erat fides, & expectanda ea, quæ impleta nondum erant, aliter ad credendum expectanda eſſet mors, & reſurrectio: quia & hæc prædicta erant de vero Meſſia. Hoc ex ipſo facto comprobatur, nam Lucæ 3. Judæorum Populus credidit Joannem eſſe Meſſiam, & tamen miraculum non fecerat & Actor: 5. duos paulo ante in Meſſiam receperant, & tamen illi nihil operati fuerant, quo facto ipſimet Judæi teſtimonium contra ſe perhibuerunt non poſſe a peccato excuſari non credentes: quia nondum miracula, aut nondum omnia, quæ erant prædicta fecerat. *Quarta eſt.* Quamvis a principio peccarunt non credentes in Eum poſt Joannis teſtimonium, & poſt prædicationem Chriſti, longe tamen majus, & gravius peccatum fuit, poſtquam Dominus apertis miraculis doctrinam ſuam confirmavit, non credere: hæc enim erant argumenta Divina, & DEI ſigillum Chriſtum verum Deum oſtendentia. His omnibus perpenſis manifeſtum eſt aſſertionem Authoris eſſe falſam.

RESPONSIO AD PRIMUM PUNCTUM.

Fateor ſermonem illum habitum fuiſſe poſt cænam ad ſolos Diſcipulos. verum evidens quoque eſt ſermonem hunc ſpectare Judæos. Porro ille modus loquendi non eſt inuſitatus, qui frequens eſt in Scriptura: atqui dicere: ſermonem eſſe ad eum, de quo ſermo inſtituitur, frequens eſt in ſcriptura. Sic Lucæ c, 19. v. 9. *dixit Jeſus ad eum*: reddunt alii de eo) *hodie ſalus domui huic facta eſt.* Item Lucæ 18. v. 9. *dixit ad quoſdam,*

qui

qui inſe confidebant (id eſt. de quibuſdam:,qui inſe confidebant) juxta S. Aug: Serm: olim 30 nunc 115. Bedam, Maldonatum, alioſque qui putant hic Chriſtum continuare doctrinam ad Apoſtolos de oratione, & id patet ex c. 17, v. 22. nam ibi dicitur: & ait *ad Diſcipulos ſuos*. Jam vero c. 17 initio ſic habetur: *dicebat autem parabolam ad illos* ſcilicet ad Diſcipulos primo de Judice deinde de Phariſæo, & Publicano. Denique Chriſtus alloquendo Judæos multis in locis idem dixerat, licet aliis verbis, ut inferius oſtendam: ergo poteram dicere Chriſtum hæc dixiſſe ad Judæos, cum hæc verba dixerit de Judæis, & ſimilia etiam ad Judæos ipſos. Miror homines acutiſſimos in alienis vitiis cernendis, non vidiſſe manticæ, quod intergo eſt, dum referunt textum Jſaiæ: *ipſe veniet, & ſalvabit nos.* at Jſaias habet: *vos.* Item: Tunc ſaliet velut cervus claudus: at vulgata fert: *Sicut cervus.* *Secundo,* Dum dicunt *Diſcipulos*, ſeu *Credentes*, quaſi *Diſcipulus*, & *Credens* idem eſſet. Mulier Samaritana, ipſique Samaritani, & alii Chriſto crediderunt, juxta ipſos Cenſores, & tamen non erant Diſcipuli. Poſt Aſcenſionem Chriſti aliquo tempore omnes *credentes* vocabantur jam Diſcipuli, jam fratres, &c, at in Evangelio diſtinguuntur. Diſcipuli illi erant, qui *vocati fuerunt a Chriſto.* ex Diſcipulis Chriſtus elegit Apoſtolos. Tertio Nec id ſatis accuratum eſt, dum Chriſtus habuiſſe Diſcipulos ante miracula probatur ex c. 1. Joan: Nam ibi legimus ſolum Philippum vocatum a Chriſto, Andreas vero cum alio Joannis diſcipulo ipſe acceſſit Chriſtum, & poſtea adduxit Simonem fratrem, non ut Chriſto ſemper adhærerent, ſed ut illum viderent, &

allo-

alloquerentur, vocavit vero Chriſtus Andream, & Petrum ambulando per littus maris Tiberiadis. *Math: 4. v. 18. 20.* Et iterum Lucæ c. 5. Ergo ex c. 1. Joannis colligimus ſolum Philippum vocatum fuiſſe. Dum vero legimus nuptiis in Cana Galileæ interfuiſſe diſcipulos, accipiendum puto ampliative: ideſt: qui poſtea fuerunt diſcipuli facti. *Vide Harmonias Evangeliorum.*

RESPONSIO AD ALIA PUNCTA.

Nemo eſt, qui ignoret, eum, cui ſpecialis ſit revelatio teneri credere DEO revelanti: adeoque & Mariam Virginem, & Zachariam, & Eliſabetham & Paſtores, & Joannem, & Joſephum alioſque, quibus particularis facta fuerat revelatio obſtrictos fuiſſe ad credendum Chriſtum eſſe Meſſiam: lumen enim ipſum rationis oſtendit: *Primæ Veritati evidenter loquenti fidem eſſe habendam.*

Neque ullus in dubium vocabit, utrum ij, quibus Chriſtus Divinitatem ſuam ſingulari modo voluit manifeſtare, vel divinâ vi ſermonis, ut de Mathæo aliqui exiſtimant, vel voce de cælo, vel ſplendore aliquo, ut in Transfiguratione, fuerint etiam obligati ad credendum: hæc enim omnia ſunt miracula. Nec erit ullus tam iniquus judex, qui hæc a me negari in loco, de quo agitur, aut poſſit, aut velit aſſerere. Ibi enim ago de diſcernendis miraculis veris, a falſis, quæ duo homines ederent in teſtimonium miſſionis ſuæ a DEO.

Pro fundamento vero pono: *homini affirmanti ſe eſſe a DEO miſſum ad docendum novam doctrinam, non poſſe credi ſine miraculis.* Qua propoſitione quid verius? Agnovit hoc Mahometes,

agno

agnoverunt hoc omnes Hæretici, licet errores ſuos probarent ex Scriptura: proinde cum vera miracula edere non poſſent, falſa a ſe patrata miracula ſpargi in vulgus curabant, Hocque argumento Catholi ſemper uſi ſunt ad convincendos hoſtes veræ Religionis, quo labefactato corrueret præcipuum fulcrum veritatis, oſtiumque aperiretur Jmpoſtoribus aggrediendi ex omni parte Religionem noſtram, Hinc conſequens erat, ut dicerem: etiam Chriſto affirmanti ſe eſſe Meſſiam; nullum Judæorum fuiſſe obligatum credere abſque miraculis. Stella porro Magorum, revelatio Paſtoribus, Zachariæ, Eliſabethæ, vox de cælo &c. erant *miracula Chriſti*, & vere patrata a Chriſto: quia patrata fuerunt & virtute ipſius, & in teſtimonium, quod ipſe eſſet Meſſias. Cum dicit Chriſtus: *ego teſtimonium non accipio ab homine*: quærunt Interpretes: qua ratione id verum ſit, cum Chriſtus ipſe Apoſtolos miſerit, ut teſtimonium de ipſo perhiberent? Et reſpondent: Chriſtum non accepiſſe teſtimonium ab hominibus, quia teſtimonium quod reddebant Apoſtoli, & per conſequens quod Magi, Paſtores, Joannes Baptiſta, & cæteri, erat teſtimonium Patris, & Chriſti. Jlli enim reddebant teſtimonium per miracula, quæ per ipſos DEUS patrabat in confirmationem eorum prædicationis. Hinc Petrus dixit ad claudum: *In nomine Jeſu Chriſti Nazareni ſurge & ambula.* Neque ſermonem hic inſtituo de aliis Prophetis, quam de antiquis, de quibus dicitur: *Prophetæ & lex uſque ad Joannem prophetaverunt* Math: 11, v. 13. Hieronim: Chriſoſtom: Beda, Eutymius. Joannes enim non erat *purus*, ut vocant Interpretes, Pro-

Propheta. Zacharias Eum appellat Prophetam: at ipſe Joannes dicit: *non ſum Propheta*; & Chriſtus Eum affirmat eſſe *plus quam Prophetam:* quia nimirum non obſcuris tropiciſque vaticiniis venturum Meſſiam prædicebat, ut alii Prophetæ, ſed natum, adultumque, atque præſentem & nuntiabat, & indicabat. Hâc poſitâ explicatione patet ſenſum verborum meorum hunc eſſe: *ſola miracula debebant Chriſtum probare eſſe Meſſiam: ac proinde nullus tenebatur credere eum eſſe Meſſiam ideo: quia ſe talem dicebat, niſi feciſſet miracula in teſtimonium ſuæ à DEO miſſionis. Vaticinia etenim Prophetarum non oſtendebant clarè hunc hominem eſſe illum Meſſiam prædictum.* Quid in his propoſitionibus non verum, & clarum? quid opus erat tanto labore conquirere argumenta ad eas coarguendas? imo ſenſus harum propoſitionum ſincerus, verusque eſt: *nemo illorum Judæorum, qui in Chriſtum non crediderunt, & quibus Chriſtus exprobrat incredulitatem his verbis: ſi opera non feciſſem &c commiſiſſet peccatum infidelitatis, ut pote non obligatus ad credendum, niſi miracula Chriſtum probarent eſſe Meſſiam.* Aſſertio enim non debet latius extendi, quam ratio quâ probatur: atqui hanc aſſertionem probo his verbis Chriſti: *ſi opera non feciſſem* &c, ergo in quocunque ſenſu tu accipis hæc verba Chriſti, in eodem quoque ſenſu accipere debes meas aſſertiones. Ne tamen videar alicui hâc expoſitione velle mitigare ſeveritatem ſententiæ, volo nunc examinare: an ille etiam ſenſus, qui mihi, immerito licet, tribuitur, tam evidenter ſit falſus, quam audacter aſſeritur. Itaque.

Dico Si Chriſtus miracula per ſe ipſum non feciſſet nullus, quam diu Chriſtus in terris degebat, tenebatur credere Eum eſſe Meſſiam. Et ita quo ad literam debent accipi hæc verba Chriſti: *ſi opera non feciſſem peccatum non haberent*. & hæc: *ſi non veniſſem, & locutus fuiſſem. &c:*

PROB: *1mo*, Deut c. 18 v. 15: Moyſes dicit: *Prophetam, ſicut me, ſuſcitabit tibi Dominus Deus tuus.* Atqui Moyſes per miracula probavit ſe eſſe a Deo miſſum: nec ullus Eum pro Legislatore, & Duce, aut homine miſſo a Deo tenebatur acceptare ſine miraculis: ergo nec Chriſtum.

PROB: *2do.* Jſaias c. 35. v. 5. ſic deſcribit adventum Meſſiæ: *DEUS ipſe veniet, & ſalvabit vos: tunc aperientur oculi cæcorum, & aures ſurdorum patebunt*, & capite 29 *v.* 18. *audient in die illa ſurdi verba libri, & de tenebris, & caligine oculi cæcorum videbunt.* Ex his ſic arguo: tunc Judæi non tenebantur credere abſque miraculis Chriſtum eſſe Meſſiam quando adventus ipſius ita eſſentialiter erat connexus cum miraculis, ut ſine illis nec Chriſtus venire poterat, nec agnoſci pro Meſſia: atqui ita eſt: ut patet 1 Ex verbis iſtis: nam Jſaias hic ſignum dat, quô diſcerni debuerat Meſſias 2. Quia non poterat eſſe Meſſias, is qui non faceret miracula: alias DEUS nos falleret 3. Quia aliud ſignum nullum evidenter hunc hominem eſſe Meſſiam oſtendebat, ut inferius declarabo.

PROB: *3tio.* Chriſtus Joan: c. 15. *v.* 24. dicit: *ſi opera non feciſſem in eis peccatum non haberent*, Hæc propoſitio juxta Cenſores ipſos, & eſt excluſiva, & debet intelligi de omnibus Judæis, qui in Chriſtum non crediderunt: nam per nihil re-

ſtringitur proinde hunc habet ſenſum: ſi opera non feciſſem nec illi Judæi, qui Magorum, Zachariæ, Paſtorum, Symeonis, Annæ, Eliſabethæ, Joannis Baptiſtæ teſtimonio non crediderunt, nec ullus alius peccatum haberet, ſcilicet infidelitatis, ſi miracula non feciſſem: ergo nullus tenebatur credere JESUM eſſe Meſſiam ſine miraculis.

PROB: 4. Joan: c. 5. *v.* 36. ſic Judæos Chriſtus *alloquitur*: *ego habeo teſtimonium majus Joanne: opera enim quæ dedit mihi Pater, ut perficiam ea, ipſa opera, quæ ego facio teſtimonium perhibent de me; quia Pater miſit me, & qui miſit me Pater, ipſe teſtimonium perhibuit de me.* Quæro: quare Chriſtus dicit ſe habere teſtimonium majus Joanne? nunquid teſtimonium ipſius non erat æque opus DEI, ac miracula Chriſti? cur ergo Chriſtus dicit: *habeo teſtimonium majus Joanne?* Quia nimirum non erat evidens teſtimonium Joannis procedere a DEO, evidentiſſimum autem erat illum, qui miracula patrat in confirmationem, quod ſit & Meſſias, & DEUS, non poſſe mentiri, niſi ſimul DEUS, prima Veritas deciperet homines. Teſtimonium Joannis erat etiam teſtimonium Patris, ſed reſpectu Judæorum, quibus non erat evidens Joannem eſſe hominem a DEO miſſum, erat teſtimonium *humanum* Hinc Chriſtus dicit: *ego non ab homine teſtimonium accipio*

PROB: 5, Chriſtus Dominus mittendo diſcipulos & ad ſolos Judæos Lucæ 10. & in univerſum mundum Lucæ 24. & Marci 16, ut prædicarent Evangelium non dixit illis ut proferrent teſtimonium Magorum, Joannis Baptiſtæ, Zachariæ, Paſtorum, aut Scripturarum: ſed inſtruxit illos

 po-

poteſtate patrandi miracula. Ergo Chriſtus ſuppoſuit ſola miracula ita eſſe neceſſaria ad probandum illum eſſe Meſſiam, ut alia ſine illis non ſufficerent teſtimonia.

PROB: *6to.* Math: c. 12. v. 2. Joannes Baptiſta in vinculis detentus, quamvis ex revelatione privata didicerat Chriſtum eſſe Meſſiam, ipſique teſtimonium perhibuerit Math: 3. *v.* 13. Joan: 1. *v.* 15. 32. 33. Lucæ 3. *v.* 21. tamen audiens opera Chriſti miſit ad Eum diſcipulos ſciſcitatum: *tu es, qui venturus es?* Cur miſiſſet, ſi credidiſſet diſcipulos ſuos obligatos fuiſſe propter ſuum teſtimonium credere hunc JESUM hominem eſſe Meſſiam? Et juxta Authorem Quæſtionum ad Ortohoxos ſub nomine Juſtini, quem paſſim recentiores in hoc ſequuntur Interpretes: ipſe Joannes hærebat dubius num ille, de quo tam multa ex fama audiret, idem eſſet JESUS, cui ipſe teſtimonium perhibuerat, & quem Meſſiam eſſe norat. Quid porro Jeſus? num reprehendit Diſcipulorum Joannis incredulitatem, aut ipſius Joannis dubitationem? In ipſa hora ait Lucas c. 7. *v.* 21. *multos curavit a languoribus & plagis, & ſpiritibus malis & cœcis multis donavit viſum, Et reſpondens dixit illis euntes renunciate Joanni, quæ auditis, & vidiſtis: quia cœci vident, claudi ambulant, leproſi mundantur, ſurdi audiunt, mortui reſurgunt, pauperes evangelizantur*; ergo Chriſtus ipſe iudicavit: miracula eſſe ita neceſſaria ad credendum ſe eſſe Meſſiam, ut nec teſtimonium Magorum, nec ipſius Joannis ſufficiens eſſet ad inducendam obligationem credendi.

PROB: *7mo.* SS. PP. ſupponunt miracula omnino fuiſſe neceſſaria ad formandam, & nutriendam

endam fidem: *Nun quid nam fratres mei, quia iſta ſigna non facitis minime creditis? ſed hæc neceſſaria in exordio Eccleſiæ fuerunt. ait S. Gregor:* Homilia 29 in Evangel: Idem affirmant omnes SS. PP. Quare autem nunc miracula non ſunt neceſſaria? quia diſperſio gentis Judæorum, vocatio Gentilium, & Eccleſiæ ipſius propagatio ſunt eventus prædictioni Prophetarum reſpondentes, atque adeo perpetuo ſubſiſtens, atque manifeſtum miraculum.

PROB: 8*vo*. Theologi omnes ad quæſtionem cur Chriſtus, & Apoſtoli ad probandum adventum Meſſiæ non ſint uſi vaticinio *Jacobi*, nec aliorum Prophetarum: reſpondent: quia hæc vaticinia nec dum erant impleta, & Chriſtus miſſionem ſuam probare prius debuit miraculis. *Vide Turnelium, Jueninium &c, de Incarnatione.*

PROB: 9*no*. Tum Judæi non tenebantur ſine miraculis Chriſtum credere Meſſiam quando hoc illis non erat evidenter credibile: atqui ita eſt. *Major patet* ex propoſitionibus damnatis ab Innocentio XI. *Ab infidelitate excuſabitur infidelis non credens ductus opinione minus probabili.* Item ex hac: *Aſſenſus fidei ſupernaturalis, & utilis ad ſalutem ſtat cum notitia ſolum probabili revelationis, imo cum formidine, ne non ſit locutus DEUS.* Item ex hac: *Evidens non eſt evidentia morali proprie dicta, & Phyſica Religionem Catholicam eſſe veram. Prob: minor:* Tunc Judæis non erat evidenter credibile Chriſtum eſſe Meſſiam, quando in Chriſto non poterant evidenter diſcernere characteres Meſſiæ in Scriptura indicatos, neque eos inter ſe conciliare ſine miraculis: atqui ita eſt, ergo &c, *Prob: minor,*

Meſ-

Meſſias in Scriptura deſcribitur *DEUS, & homo magnus, & humilis. Dominus & ſervus, Sacerdos & victima: Rex & Regi ſubjectus, morti obnoxius & mortis victor, dives, & pauper, validus ſimul & imbecillis.:* atqui hæc Judæi nec diſcernere, nec conciliare in Chriſto poterant, ut patet 1. ex Apoſtolis., qui licet a Chriſto edocti neque præjudicia de Regno deponebant, neque facile capiebant ea; quæ illis de morte, reſurrectione, & gloria ſua Chriſtus prædicebat. 2. ex Eunucho Candacis Reginæ dicente ad Philippum: *quomodo poſſum intelligere ſi non aliquis oſtenderit mihi. 3tio* ex ipſa difficultate, quam Catholici ſentiunt oſtendendi in Chriſto hos characteres Judæis modernis,

PROB: *10.* Neque ſigna Meſſiæ adventûs deſcripta in Scriptura oſtendebant hunc hominem JESUM eſſe illum Meſſiam. Signa præcipua hæc erant: *defectio Iudæ ſceptri, affluxus Gentium, gloria major Templi deſolatio urbis, & Templi, abrogatio veterum ſacrificiorum, & inſtitutio novi:* atqui hæc ſigna tempore Chriſti aut necdum erant completa, aut non erant evidentia, ut patet ex eo: quia in iis oſtendendis hucuſque laborant, & non conveniunt Theologi. Ergo &c,

PROB: 11. Sanæ rationi repugnat aſſerere: *eum, cujus Religio evidenter eſt a Deo, cui præceptum eſt ſub graviſſimis pœnis, ut & caveret a falſis doctoribus, ac Prophetis, & in dubiis recurreret ad ſacerdotes, teneri acceptare pro Legislatore, & Doctore eum, qui promiſſus quidem erat,* at ſimul immutaturus ſtatum Religionis *evidenter Divinæ* propter ſolum teſtimonium hominum, qui aut erant tales, aut tales videbantur; ita ut di-

diſtingvi ab aliis hominibus non potuerint: Atqui Judæorum Religio evidenter erat a DEO, illis præceptum erat ut caverent a falſis Doctoribus ac Prophetis, in dubiis vero recurrerent ad Sacerdotes. qui vero teſtabantur Chriſtum eſſe Meſſiam, hoc eſt Legislatorem, & Doctorem novum, aut erant, aut videbantur eſſe puri homines: ergo ſanæ rationi repugnat dicere Judæos obligatos fuiſſe credere aut propter prædicationem Chriſti ſolam, aut propter teſtimonium Magorum, Paſtorum, Joannis Baptiſtæ. Chriſtus dicebat ſe eſſe Meſſiam: at videbatur eſſe homo ſimilis aliorum. & ſine miraculis nullum adferebat ſignum evidens ſuæ a DEO miſſionis; Narrabant mira Paſtores, Magi, Joannes Baptiſta: at eorum fides necdum experimento comprobata erat: imo etſi eſſet. quis etiam nunc Theologorum audebit docere: teneri quemvis in conſcientia credere fide divinâ hoc, vel illud, propter ſolam authoritatem hominis, ſancti, & docti aſſerentis ſibi hoc, vel illud eſſe revelatum?

Quod ut ad oculum demonſtrem.

Fingo me eſſe Judæum, eoque tempore verſari Jeroſolimis, quo Chriſtus natus fuerat. Ecce Magi *ob Oriente veniunt dicentes: ubi natus eſt Rex Judæorum.* Quem Regem quærunt? forte filium Herodis, aut alium aliquem ex ſtirpe Davidis, qui liberaturus eſt Gentem noſtram e jugo Romanorum: aut forte ſunt impeſtores, aut adulatores Herodis? præcipuè cum ſint alieni a noſtra Religione, cum quibus commercium nobis interdictum.

Quid denique mirum naſci, & interire Reges? *Vidimus*, inquiunt, *ſtellam ejus, & venimus adora-*

rare Eum, Prædixit quidem Balaam ſtellam ex Jacob orituram, at verane narrant iſti viri? Demus vera narrare: nunquid inſolitum eſt ſtellas novas, cometas, globos igneos, pluresſoles, & lunas in cælo ſpectari? an ſtella illa omnino eſt ſignum nativitatis Regis prædicti a Balaam? nonne 2. *Machab*; c. 5. majora viſa fuerant in cælo monſtra? multi omen in bonam partem accipiebant: ecce vero Epiphanes gentem, urbem, & Templum miſere devaſtavit: an non ſimile quid ſtella iſta portendat?

Herodis ambitio excitata, & irritata metuit: utrum non ille Rex natus ſit, cujus tum expectatione, juxta Tacitum, Svetonium &c: Oriens totus ſuſpenſus tenebatur, quique totius mundi imperio credebatur potiturus. Quærere itaque jubet, *ubi Chriſtus naſceretur*. Dicunt ei: *In Bethleem Judæ*: protinus illic contendunt Magi: at non redeunt. Quis hic aut iram, aut riſum, aut dolorem contineret? riderent alii inſanam ambitionem Herodis, & credulam ſimplicitatem Magorum, alij dolerent ſpem ſuam deluſam.

Pergam ipſe Bethlehemum: res mihi digna videtur, ut propius eam explorem. Verum ubi quæram natum illum? Magi diſceſſerunt. Demus occurrere mihi Paſtores: narrant vidiſſe ſe Angelos *canentes*, *& annunciantes Salvatorem*. Credamne illis? rudes, & pauperes ſunt, facile decipiunt, & decipiuntur. Annon quæſtus gratiâ id confingunt ex occaſione adventûs Magorum? Annon corrupti a Magis hæc ſpargunt; ne viderentur & deluſi fuiſſe, & deluſiſſe? Oſtendunt mihi ſtabulum: hoccine eſt Regis, & Salvatoris Palatium? Intro: video infantem pannis involu-

tum

tum, & in præſen o reclin tum ? Papæ! iſtene eſt Meſſias, & Sa vator? Ille e Virgine naſciturus, iſtius video Parentes: ille miracula patraturus iſte alienæ opis eſt indigus: ille Legiſlator futurus, iſte vix vagit: ille Gentes ſubjugaturus, iſte infans eſt imbecillis: ad illum fluent omnes Nationes, hic ne Judæorum quidem video affluxum: ille futurus Sacerdos, iſte ne quidem e Tribu Levi.

Portatur infans ad Templum: Simeon tenens Eum in ulnis magnificis verbis Eum compellat: *Lumen ad revelationem Gentium, gloriam plebis Iſraël*: & ſimul quædam fauſta, & infauſta de Eo ominatur: *poſitus hic in ruinam, & reſurrectionem multorum in Iſraël.* Idem Anna confirmat. At quo ſpiritu uterque agitur, an privati commodi? an DEI? At nullius hucuſque eventûs prædictione probarunt ſe Prophetas: non agnoſcit eos Iſraël pro *Videntibus*. Mihi vero cautum eſt a DEO cuicunque prædicenti futura fidem adhibere. Deuter: c. 13. & c. 18 *Hoc habebis ſignum, quod in nomine Domini Propheta ille prædixerit, & non evenerit, hoc Dominus non eſt locutus*, expectabo itaque eventum: Interea ſervo hæc omnia in corde, & obſervo puerum. Ecce vero noctu diſparet: quo ſe recepit? Nullus novit. Cædes mox conſequitur infantium: nonnè hic fortaſſe & Herodis crudelem ambitionem deteſtarer, & Magos, Paſtores, Simeonem, Annam, tanquam impoſtores, & tantorum malorum authores accuſarem. Vere, dicerem, infans hic poſitus eſt in ruinam, at non in reſurrectionem multorum in Iſraël! neque dubitarem hâc cæde infantem quoque involutum. Effluxe-

runt

runt triginta & amplius anni, nihil audio de illo Salvatore, de illo *lumine Gentium*, & gloria *plebis Iſraël*. Omnis ſpes, ſi quam concepi, evanuiſſet: imo & memoria rerum geſtarum. Interea, audio Joannem *prædicare baptiſmum pœnitentiæ:* Curro cum aliis ad ipſum; video hominem auſteræ vitæ: verum hoc commune eſt & Phariſæis noſtris, & impoſtoribus: veniunt legati ad ipſum Jeroſolimâ, quærunt: num ſit propheta? *Non ſum* inquit; num *Elias?* non ſum: quid ergo es tu? Ego, inquit, *vox clamantis in deſerto: parate viam Domini* &c, accomodat ſibi verba Iſaiæ, quibus Patribus noſtris è captivitate reditum prædicebat: forte iſte Joannes vaticinatur nobis libertatem è jugo Romanorum. Dicit veniſſe hominem, *qui ante Eum factus eſt:* Videns vero Jeſum, oſtendit præſentibus: *ecce Agnus DEI, ecce qui tollit peccatum mundi:* vereor ne non in eandem fraudem conſpirarint? Addit: *ſe audiviſſe vocem de cælo, & vidiſſe ſpiritum Sanctum ſpecie columbæ* &c. Verum & falſi Prophetæ affirmabant *DEUM ſibi locutum, ſe vidiſſe viſiones DEI*, & eſſe *miſſos a DEO:* cum tamen viſiones *viderint caſſas*, & Dominus locutus eis non fuerat. Vitæ tamen ejus ſanctitas videtur alienâ a fraude: Agitur hic de re magni momenti, ſcilicet de Meſſia: dignum itaque eſt, ut ipſe veritatem explorem. Accedo ad Jeſum: video hominem ſimilem cæterorum: dicit ſe eſſe Meſſiam: verum nullum in Eo deprehendo characterem Meſſiæ, præter inopiam, & humilitatem, audio docentem: nova quædam præcepta tradere videtur: Annon cavere mihi præcepit Moyſes Deut: 4. v. 2. *non addetis ad ver-*

verbum, quod vobis loquor, nec auferetis ex eo. Interea dum hæc mecum revolvo, veniunt Diſcipuli miſſi a Joanne, & quærunt: *tu es qui venturus es? Hic Jeſus ſanatis* ægris: ite, inquit, renunciate Joanni: cæci vident, claudi ambulant &c, tunc ego exclamo: *invenimus Meſſiam,* quem Moyſes ſcripſit in lege: nam evidens mihi eſt hominem virtute propria non poſſe patrare miracula: evidens quoque eſt a Deo me non poſſe decipi: deciperet vero ſi per hominem, qui non eſt Meſſias faceret miracula in confirmationem: quod ipſe ſit Meſſias: ergo evidens eſt hunc Jeſum eſſe Meſſiam. Hæc tam clara ſunt, ut non eſſet neceſſe quidquam addere: breviter ergo ſolum omnes rationes complector.

In Chriſto, dum vivebat, nec characteres, nec ſigna Meſſiæ evidenter diſcerni potuerant, & ii, qui Eum aſſerebant eſſe Meſſiam aut videbantur eſſe homines tantum, ut Chriſtus ipſe, aut erant homines, ut Magi, Paſtores, Joannes &c, quorum teſtimonium, ut pote humanum, ſolum faciebat probabilitatem: ergo cum nec teneor, nec poſſum credere, niſi tum, cum evidens eſt Deum teſtari, nec poteram nec debebam abſque miraculis credere Chriſtum eſſe Meſſiam tam propter ipſius, quam aliorum teſtimonium. Evidens eſt Judæos non potuiſſe niſi impie abrogare leges judiciales, & cæremoniales, & alia inſtituere Sacrificia, quæ erant evidenter a DEO, propter ſolam authoritatem humanam: Ergo evidens quoque eſt non potuiſſe illos agnoſcere pro Meſſia, qui hæc abrogaturus erat, propter ſolam authoritatem hominum aſſerentium illum eſſe Meſſiam, & nar-

ran-

ſantium quædam miracula, & privatas revelationes, quantacunque illorum eſſet fides.

PROBAT: 12. Si aut teſtimonium Joannis, Magorum &c, aut ſola prædicatio Chriſti ſine miraculis induceret obligationem credendi Chriſtum eſſe Meſſiam, non potuiſſet Chriſtus dicere: *Si opera non facio Patris mei, nolite mihi credere. Probatur:* Si aut teſtimonium Joannis Magorum &c: aut ſola Chriſti prædicatio, inducerent obligationem credendi, tunc ex teſtimonio Joannis &c, aut ex ſola Chriſti prædicatione evidens eſſet Deum loqui, & teſtari: ut patet ex propoſitionibus damnatis ſupra adductis: atqui ſi aut ex teſtimonio Joannis, &c, aut ex ſola prædicatione Chriſti evidens eſſet Deum loqui, & teſtari, tunc non potuiſſet Chriſtus dicere: *ſi opera non facio* &c. *Prob: ſubs:* non potuit Chriſtus dicere: *nolite credere et ſi evidens ſit Deum teſtari, ſi opera non facio:* nam nec Deus poteſt diſpenſare ne illi credamus, dum evidens eſt illum teſtari, quia non poteſt diſpenſare ne Eum credamus eſſe primam Veritatem: ergo ſi aut ex teſtimonio Joannis, aut ex ſola prædicatione evidens eſſet Deum loqui, & teſtari, non potuiſſet Chriſtus dicere: *ſi opera non facio* &c, Verbo: ſenſus horum Chriſti verborum eſt iſte: ſi miracula non patro, neque propter teſtimonium Joannis, &c: imo, neque propter meam prædicationem credite, me eſſe Meſſiam: atqui ſi ex ſola prædicatione Chriſti, aut ex teſtimonio Joannis &c. evidens eſſet Chriſtum eſſe Meſſiam tunc ſenſus horum verborum eſſet iſte: *ſi miracula non facio, non credite me eſſe Meſſiam, & Deum, licet aliunde evidens vobis ſit Deum teſtari me eſſe Meſsiam:* ergo cum non teneq-

teneamur credere niſi dum evidens eſt Deum teſtari, & evidens quoque ſit ne DEUM ipſum poſſe diſpenſare ne Ei credamus, dum eſt evidens illum teſtari, ſole clarius patet: non fuiſſe obligationem credendi Chriſtum eſſe Meſſiam propter teſtimonium Joannis, Magorum, & ipſius Chriſti prædicationem, ſi opera non feciſſet Chriſtus.

OBIICIES 1. hæc propoſitio miracula Chriſti condemnabant infidelitatem Judæorum ſic explicatur: *Sola miracula, & nihil aliud condemnabat infidelitatem Iudæorum: adeoque neque adventus Magorum*, &c. *atqui hæc ſunt dura Er. R.* 1. Hæc propoſitio: *ſi non veniſſem & locutus fuiſſem* &c. *etiam* inſenſu Cenſorum ſic explicatur: ſolus adventus, & prædicatio mea reos faciunt Judæos infidelitatis: ergo nec prophetia Zachariæ, nec Eliſabeth: quia tunc necdum Chriſtus natus fuerat: ergo nec Magorum adventus, adoratio, annuntiatio per Paſtores, Simeonem, Annam &c. reos faciunt peccati infidelitatis: quia tunc Chriſtus necdum ſe manifeſtavit, & necdum locutus fuerat. Quid porro dicendum de his verbis: *niſi opera feciſſem* &c. *ſi opera non facio* &c: vide infra: R. 2. *Neg: Subſ*: non eſt durum dicere neque Judæos Barkokebæ ſeu *Filio ſideris* aſſerenti ſe eſſe *ſidus Jacobi* prædictum a Balaam: Num: 24. neque Arabes Machometo affirmanti: ſe habere commercium cum Archangelo, neque Ario, & Luthero probantibus ſua dogmata ex Scriptura Chriſtianos obligatos fuiſſe ad credendum: ergo neque eſt durum dicere: Judæos obligatos non fuiſſe credere teſtimonio Magorum, &c. Non eſt durum dicere teſtimonium hominum facere ſolum probabilitatem, & neminem teneri credere niſi evidens

ſit

ſit DEUM eſſe locutum. Non eſt durum dicere: Eccleſiam etiam hominibus fide dignis non ſtatim credere, dum affirmant, ſe hujus, vel illius ſancti expertos eſſe miraculum, aut habuiſſe revelationem, licet teſtimonium ſuum teſtibus, & juramento confirment: Non eſt durum dicere: neminem teneri credere, quando non eſt evidens Deum teſtari, & ſimul dicere: vix unquam haberi poſſe evidentiam, & certitudinem de revelatione aliis perſonis facta ſine declaratione Eccleſiæ, aut miraculo, quod docet Gravina in ſuo *Lidio Lapide*: Amort: in opere cui titulus: *de revelationibus privatis Regulæ tutæ*: & in alio: *Controverſia de revelationibus privatis explicata*: Benedictus XIV. *Lib: de apparitionibus & revelationibus*. Docent quoque hi ipſi Authores: dum ab Eccleſia revelationes privatæ approbantur, non præcipi, ut iis credamus, ſed ſolum pronuntiari: nihil in iis contineri fidei, aut bonis moribus contrarium,

DICES 1. *Durum eſt dicere: vocem de cælo non condemnaſſe infidelitatem Judæorum.*. ℞. At prius examinandum erat, an audiverunt vocem illam de cælo turbæ? nam quo evidenti argumento probabis illam auditam fuiſſe a plebe, aut a Diſcipulis Joannis? Nullus Evangeliſta hoc narrat: imo S. Mathæus, & S. Joannes videntur inſinuare auditam hanc vocem ſolum a Chriſto,& Joanne. Sic enim Mathæus refert c.3 *v*. 17. *Et ecce aperti ſunt cæli.* Cui? *Ei. Et vidit Spiritum Dei deſcendentem ſicut columbam, & venientem ſuper ſe. & ecce vox de cælis dicens: hic eſt Filius meus dilectus in quo mihi complacui..* Quomodo inferes ex his verbis alios præter Joannem, &

CHRI-

CHRISTUM hæc vidiſſe, & audiviſſe? Addit quidem S. Lucas : *ipſum audite* : quibus verbis inſinuare videtur, etiam turbas audiviſſe: verum audiamus Baptiſtam teſtimonium de Chriſto perhibentem Joan: c. 1. v. 33. *Et Ego neſciebam, ſed qui miſit me baptizare in aqua, ille mihi dixit: ſuper quem videris Spiritum deſcendentem & manentem ſuper eum, hic eſt qui baptizat in Spiritu ſancto. Et ego vidi, & teſtimonium perhibui: quia hic eſt Filius DEI.* Si turbæ & vidiſſent cælum apertum, & audiviſſent vocem non dixiſſet ſolum Joannes: *& ego vidi,* ſed addidiſſet: *& ego vidi, & diſcipuli mei viderunt: & audiverunt. & vos ipſi,* aut ſaltem multi ex vobis: nam hæc vox efficacior erat ad convincendos Judæos, voce Joannis: quia evidentius erat illam a DEO profectam fuiſſe, quam teſtimonium Joannis: Quomodo ergo Theologus audet aſſerere turbas *ſub peccato Lethali* obligatas fuiſſe credere propter vocem, quam forte, & probabilius non audiverant? Sed demus turbas quoque illam audiviſſe: quid porro illa ſonabat? *Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi complacui.* Atqui in Scriptura veteris teſtamenti per *Filios DEI* aut intelliguntur Angeli, *Job: c. 1.* aut *homines juſti,* ut patet ex illis verbis: *videntes Filii DEI Filias hominum,* & ex aliis locis: de Filio autem naturali DEI ne in mentem quidem poterat venire Judæis: ergo ex illis verbis non poterant Judæi evidenter inferre Chriſtum aut eſſe Meſſiam, aut multo minus *Filium naturalem* DEI, ſed ſolum hominem aliquem juſtum, ad ſummum Prophetam. Reſpondeo 3. Ipſa vox illa Cæleſtis erat miraculum, & miraculum Chriſti: ergo ſemper verum eſt dicere: *Sola mira-*

cula Chriſti condemnabant infidelitatem Judæorum.

DICES 2. *Joannes ſufficientem authoritatem accepit a DEO, ut ei crederetur: quia erat homo miſſus a DEO. Ergo Judæi ſub peccato lethali tenebantur illi credere.* ℟. Mitius iſta quæſo, ne majorem Theologis augeas invidiam, qui ſat acerbe multorum peccatorum authores extitiſſe accuſantur. Pone tibi ob oculos Paulum Romæ Judæis, qui, ut legimus, Actorum c. 28, ſolum *audiverunt de ſecta hac, quod ei ubique contradicatur*: aut pone tibi ob oculos Miſſionarium Judæis Chinenſibus, qui primum dixerunt audire ſe de Meſſia, & de CHRISTO ex ipſo, dicentem: *Meſſias venit, & hic eſt CHRISTUS JESUS cujus ego ſum Apoſtolus.* Quæro: his verbis auditis vel tenebantur ſtatim Judæi fidem Paulo adhibere, vel non tenebantur? Si dixeris non tenebantur: in dubium vocabis authoritatem Pauli, quam *ille ſufficientem a DEO accepit, ut illi crederetur*: Si dixeris: tenebantur: impinges in propoſitiones damnatas, quas ſupra adduxi. Aliud, clarius fortaſſe, exemplum accipe. Omnes Theologi fatentur & poſſe eſſe, & dari Hæreticos materiales, eoſque etiam ſalvari poſſe: at juxta te non poſſent ſalvari: nam continuo committerent peccatum lethale non credendo Eccleſiæ, *quæ ſufficientem a DEO accepit authoritatem;* ut ei fides habeatur. Quod ergo tu reſponderes ad hæc argumenta, hoc me tibi quoque reſpondere non graveris. Itaque ℟. 2. Joannes erat miſſus a DEO: & hoc evidens erat Judæis illo tempore *N.* & non erat evidens.

Con-

Unde enim clare colligere poterant Joannem eſſe Præcurſorem Meſſiæ? An ex nativitate prodigioſa? Verum & Samſon prodigiô natus fuerat, aliique, & tamen aut Prophetæ, aut Præcurſores Meſſiæ non erant: An ex prophetia Zachariæ? Verum quis illum pro homine a DEO inſpirato agnoſcere debuit? præſertim cum ipſe Joannem Prophetam vocaverit, & Joannes hoc negaverit. An quia Joannes dicebat ſe eſſe *vocem clamantis in deſerto?* At ambigua hæc verba erant. An quia dicebat ſe vidiſſe cælum apertum, & vocem inde emiſſam audiviſſe? Verum & falſi Prophetæ dicebant ſe audiviſſe DEUM loquentem, & tamen, qui illis faciles præbebant aures aut morte, aut aliis a DEO calamitatibus plectebantur. Demus: Judæos Joannem agnoviſſe pro homine a DEO miſſo, ſtatimne illi credere debuerant dicenti: *hunc hominem eſſe Meſſiam*: præſertim cum hic agebatur de mutando ſtatu Religionis evidenter divinæ, & DEUS per Prophetas indicaverat ſigna, ex quibus agnoſcere debebant Meſſiam, & ſimul prohibuerat quemcunque agnoſcere pro Meſſia, aut Propheta: niſi in eo hæc ſigna deprehenderint?

DICES 3. *Teſte Evangeliſta Joan: c.* I, *Joannes erat miſſus a DEO, ut omnes crederent per illum. Ergo Judæi tenebantur &c.* ℟. I. Juxta regulas Cenſorum hæc propoſitio, *ut omnes crederent per illum*, ſic exponi debet: Et hic, & iſte. &c ſcilicet: & Magi, & B, Virgo & Zacharias, & Apoſtoli, & Corinthii, & Romani, & Galatæ &c. Deinde ſi omnes debebant credere per Joannem, ergo falſum eſt, etiam in ſenſu Cenſorum, quod di-

 cit

cit CHRISTUS : *Si non veniſſem, & locutus fuiſſem* &c. Ad quid enim neceſſarius erat adventus, & prædicatio CHRISTI, ſi per Joannem omnes credere debebant? ℞.1. Miſſus, ut omnes crederent *diſpoſitive* hoc eſt *per piam affectionem, & animi comparationem*, Conc: ut omnes *crederent actu, fide divinâ* N. Cur S. Evangeliſta poſt verba, *ut omnes crederent*, ſtatim addit: *non erat, ille lux*. Num Joannes non erat *lucerna ardens*? Erat: ſed non *illuminabat omnem hominem* ſicut CHRISTUS. Quomodo vero CHRISTUS illuminat? per fidem, cujus non ſolum eſt objectum, ſed etiã author, tum per gratias internas, tum præcipuè per miracula probando ſe eſſe Meſſiam, & ſic ad recipiendam ſuam doctrinam, & obtinendam ſalutem invitando. Et hoc eſt quod Zacharias de Joanne dicebat: *Præibis ante faciem Domini parare vias ejus*: hoc eſt etiam quod Joannes de ſe dicit: *Ego vox clamantis, parate viam Domini.* Quid eſt parate viam Domini? Hoc eſt præparate vos ad excipiendum Chriſtum. Quomodo Chriſtus excipiendus erat? per fidem juxta SS. Patres. Ergo Joannes præparabat ſolum homines ad fidem, & ad credendum in Chriſtum. Hinc collige: teſtimonium Magorum, Paſtorum, Joannis &c. non fuiſſe inutile: nam excitare debebat Judæos ad deſiderandum, & inquirendum Meſſiam, per ſigna & characteres a Prophetis indicatos.

DICES 4. *Nos tenemur credere Chriſtum eſſe Meſſiam propter teſtimonium Magorum, Paſtorum, Zachariæ, Joannis &c. Ergo & Judæi tenebantur credere* ℞. Magnum eſt diſcrimen inter

nos

nos, & illos: nos tenemur credere propter hæc etiam teſtimonia: 1. Quia Chriſtus probando ſe eſſe Meſſiam per miracula, probavit etiam illos Spiritu DEI vaticinia de ipſo effudiſſe. 2. Quia illos fuiſſe a DEO inſpiratos teſtatur ſcriptura S. quam agnoſcimus pro verbo DEI. 3. Quia iam omnia, quæ prædicta erant de Meſſia ſunt impleta. Judæi vero unde hæc ſcire poterant? præſertim cum lege Divinâ prohiberentur ante eventum agnoſcere aliquem pro Propheta, & necdum omnia vaticinia eventum ſortita fuerant.

DICES 5. *CHRISTUS Ioannem vocavit plus quam Prophetam*: Ergo *ſaltem propter teſtimonium Chriſti tenebantur agnoſcere Joannem pro homine a DEO miſſo* ℞. Diſtin: Aſumpt: Dixit hæc Chriſtus poſt patrata miracula C. ante N. Hæc verba Chriſtus dixit dimiſſis diſcipulis Joannis, quibus ſpectantibus multa ediderat miracula. Cum jam ergo evidens erat Judæis Chriſtum eſſe Meſſiam, evidens quoque factum fuerat Joannem fuiſſe præcurſorem illius a Prophetis prænuntiatum: cum hoc ipſum Meſſias teſtaretur, & miraculis probaret. Proinde Judæi tunc agnoſcere tenebantur Joannem eſſe hominem miſſum a DEO.

OBS: 2. *Durum eſt aſſerere Judæos non fuiſſe obligatos ad credendum propter ſolam prædicationem Chriſti* ℞. Non eſt durum dicere cuilibet homini dicenti ſe eſſe miſſum à Deo non ſtatim credendum: neque eſt durum aſſerere CHRISTUM formam ſervi accepiſſe, & habitu fuiſſe inventum ut hominem: ergo nec eſt durum dicere Chriſto non fuiſſe credendum propterea ſolum quia ſe eſſe Meſſiam dicebat.

DICES 1. *Chriſtus, quando prædicabat, etiam divino motu corda interius excitabat, ita: ut qui vellent, poſſent credere: Nec eis deerat auxilium neceſſarium* ℞. Etiam Hæreticis non deeſt auxilium neceſſarium: etiam illorum corda divino motu excitat Chriſtus: ergo non eſt illis neceſſe proponere notas veræ Religionis: ergo Hæreticus etiamſi perſvaviſſimum haberet ſuam ſectam eſſe à DEO, ita ut ne quidem dubitaret, teneretur ſub peccato mortali deſerere ſuam ſectam. Gentilium, qui nunquam de CHRISTO audiverunt, moventur corda divinô motû, nec deeſt illis neceſſarium auxilium: ergo non eſt illis neceſſaria prædicatio. Quis hoc dicet? Excitabantur corda Judæorum ad credendum, ſed non excitabantur ad credendum leviter: Forte per Divinum motum intelligis ſpecialem manifeſtationem Divinitatis: at quo id argumento probabis? Si Chriſtus ſemper ſpecialiter manifeſtaret ſuam Divinitatem, Judæi haberent experimentalem ſcientiam Divinitatis illius, ac proinde neque credere poſſent juxta Scotum, neque verum eſſet: *Chriſtum habitu inventum fuiſſe ut hominem, reputatum eſſe inter ſceleratos, leproſum, & percuſſum a DEO, & humiliatum: fuiſſe deſpectum & noviſſimum Virorum, cui non erat ſpecies, neque decor.* Si Chriſtus gloriam ſuam in transfiguratione manifeſtavit Diſcipulis, quis inde inferet ſemper faciem Ejus apparuiſſe *ſicut ſol*, & veſtimenta Ejus *alba ſicut nix?* ſed demus: Chriſtum ſpecialiter manifeſtaſſe ſuam divinitatem: hoc ipſum eſſet miraculum reſpectu illorum, quibus hæc fieret manifeſtatio: ideoque ſemper verum eſt: Nullum Judæorum &c.

DI-

DICES 2. *Chriſtus dicit: Si non veniſſem & locutus fuiſſem* &c. ℟. Si non veniſſem *cum miraculis & circumſtantiis adventus mei prædictis a Prophetis* C. ſine illis N. nec *ſolus adventus*, nec *ſola prædicatio Chriſti* ſufficiebat ad manifeſtandum Eum eſſe Meſſiam: alias quemlibet impoſtorem Judæi tenerentur acceptare: ſed neceſſarium erat, ut adventus, & prædicatio conjungerentur cum characteribus, & ſignis Meſſiæ. Hinc Moyſes non ſolum dixit: *Prophetam mittet Dominus*, ſed addidit: *ſicut me.* Hinc Jſaias poſtquam dixit: *veniet ſalvator*: ſtatim adiecit: *tunc aperientur oculi* &c. Jpſe quoque Chriſtus quid per adventum ſuum, & locutionem velit intelligi declarat, dum ſubiicit: v. 24. *Si opera non feciſſem in eis, quæ nemo alius fecit peccatum non haberent:* quaſi diceret: Si vel ſolum veniſſem, vel ſolum locutus fuiſſem, vel ſolum miracula patraſſem poſſent excuſari ab infidelitate. Nam ſi ſola miracula feciſſem: deberent me quidem credere hominem ſanctum aut Prophetam, ſed non obligati fuiſſent credere me eſſe Meſſiam & DEUM: Nam & Moyſes, & Elias, & Eliſæus patrabant miracula: ſi ſolum locutus fuiſſem, tanto minus obligati fuiſſent ſine ſpeciali revelatione ad credendum me eſſe Meſſiam, & DEUM, quanto ſeverius lex illorum præcipiebat cavere ab idololatria, & novitate doctrinæ. Neceſſe ergo erat, ut & dicerem me eſſe Meſſiam, & dicta miraculis comprobarem. Cum vero utrumque præſtiterim, ſcilicet, *& locutus fuerim, & opera fecerim*, quæ nemo alius fecit, nullam a peccato excuſationem habere poſſunt. Atque ita hunc locum explicant

do-

doctiſſimi quique Patres, & interpretes. S. Chriſoſtom Hom: 76. *Si non veniſſem, & locutus fuiſſem &c. Omnem nunc ipſis tollit excuſationem: quam ne haberent, primum inquit, doctrinam propoſui, deinde eam operibus confirmavi, ſecundum Moyſi legem, qui omnes præmonuit, ut ei parerent, qui talia faceret, & diceret, qui & Dei cultum erudiret, & maximis clareret miraculis.* S. Aug: ſcribens in hæc verba: *ſi opera non feciſſem* Tract: 91. in c. 15. Joan: ſic ait: *Peccatum illud ſcilicet magnum, de quo ſuperius ait: ſi non veniſſem, & locutus eis fuiſſem peccatum non haberent, hoc eſt peccatum, quo in eum loquentem, & operantem non crediderunt. Neque enim nullum peccatum habebant antequam loqueretur eis, & operaretur in eis; ſed hoc peccatum, quo in eum non crediderunt: ideo ſic commemoratur, quia ipſo peccato tenentur & cætera.* Vide quoque S. Bernard: Ep: 77. Bedam hic. Sanctus Thomas Enarratione in c. 15. Joannis: *Chriſoſtomus. Sic Igitur non habent, inquit, excuſationem per hoc, quod eam, quæ a ſermonibus doctrinam tribuebam, ſed eam quæ ab operibus adjeci. ſecundum Moyſi legem, qui adeo quod hoc facit perſvadere univerſos juſſit, cum ad pietatem ducat, & miracula tribuat, unde ſcribit: Si opera non feciſſem &c.*

Aug: ſcilicet peccatum quod in eum loquentem, & operantem non crediderunt. Pro Interpretibus, quos longum eſſet recitare, ſolus reſpondeat Calmetus in v. 22. *Si Ieſu Chriſti inſtitutiones e vulgo fuiſſent, ſi conſveta is edidiſſet miracula, iis ſimilia, quæ cæteri Prophetæ patraverunt, fuiſſet excuſationi locus niſi crederent, dicerent: eum eſſe debe-*

re Meſſiam, qui Prophetas omnes, & doctrinæ præſtantia, & magnitudine prodigiorum, & virtutis.... omnipotentia longè antecelleret. Cum vero &c. Deinde explicando v. 24. oſtendit: quomodo verum ſit CHRISTUM ea edidiſſe miracula, quæ nemo alius edidit. Denique ſi evidens erat ex ſola prædicatione Chriſti DEUM teſtari, non potuiſſet CHRISTUS dicere: *ſi opera non facio, nolite credere*, nam nec DEUS diſpenſare poteſt ne ei credamus evidenter teſtanti. Cum ergo nemo teneatur credere quando non eſt evidens DEUM teſtari, nullus quoque Judæorum tenebatur propter ſolam CHRISTI prædicationem credere eum eſſe Meſſiam.

DICES 3. *Maldonatus, & Toletus verſum* 21. *Ioan: intelligunt de ſolo adventu, & prædicatione ſine miraculis* ℞. 1. Eorum ego authoritatem, ut pote contrariam doctrinæ SS. PP., et ipſi Scripturæ, haud moror. Maldonatus intelligi quidem poteſt v. 21. explicaſſe de prædicatione *cum miraculis*, & v. 24 de prædicatione *cum tot tantiſque miraculis*, ut legenti ipſum patebit. ℞. 2. Quo fundamento v. 22. explicant *de peccato infidelitatis*, & v. 24. *de peccato odii, perſecutionis, ignorantiæ craſſæ ſeu infidelitatis*? nam & ante v. 22, & ante v. 24. CHRISTUS locutus fuerat *de odio, & perſecutione*, ſcilicet a v. 18. uſque ad v. 22. ergo vel uterque verſus intelligendus eſt de *ſola infidelitate*, vel uterque de *odio, p rſecutione, & infidelitate*, 2. Iuxta eorum explicationem *verſus* 24. habuiſſet hunc ſenſum: *ſi opera non feciſſem peccatum odii, perſecutionis, & infidelitatis non haberent*: atqui hoc eſt falſum: nam etiamſi CHRISTUS

STUS neque locutus fuiſſet, neque opera feciſſet inſectando tameu innocentem habuiſſent peccatum odii, & perſecutionis. Hinc rectè *S. Aug*: Tract: 89. in Joan: *Habent excuſationem non de omni peccato ſuo, ſed de hoc peccato, quo in CHRISTUM non crediderunt. Poſſunt habere excuſationem, ſed non ideo poſſunt effugere damnationem: Quicunque enim ſine legè peccaverunt, ſine lege peribunt.* 3. Toletus v. 22. intelligit de *Doctoribus & Phariſæis*, & v, 24. *de plebe*. At pace tanti viri liceat mihi quærere, ubi vel veſtigium in Evangelio hujus diſcriminis deprehendit? & quo argumento iſtuc probat? nam Chriſtus hic loquitur *indefinite* de omnibus Judæis: neque ſoli Doctores, & Phariſæi, ſed & plebs clamabat *crucifige*. 4. Plebs, dicit Toletus, potuiſſet excuſari, ſi non crediſſet ſine miraculis, at non Doctores. Quid ſi ego contrarium dicam: Synagoga Judæorum fuit infallibilis, ſaltem uſque ad adventum Chriſti, ut docet Bellarminus, Lib: 3, de Eccleſia c, 17. initio: Judæis prohibitum a DEO erat credere etiam miraculis editis in confirmationem doctrinæ peregrinæ: præceptum quoque illis fuerat in dubiis recurrere ad Sacerdotes, & eorum ſtare iuditio: rudis autem plebs facile poterat exiſtimare CHRISTUM aliqua legi addere, aut contrarium docere: ergo in hoc caſu etiam ipſis miraculis credere non tenebatur: Jam vero Doctores, & Sacerdotes poterant, & debebant ſcire doctrinam CHRISTI non eſſe contrariam Moyſi, at non videbant in CHRISTO characteres & ſigna Meſſiæ: ſciebant porro ex vaticiniis Prophetarum Meſſiam miracula editurum: ergo Doctores

&

& ſacerdotes non tenebantur CHRISTUM credere eſſe Meſſiam, *ſi opera non feciſſet,* quia credendo agerent contra vaticinia Prophetarum. Quid ad hæc reſponderet Toletus? & tamen Cenſor audacter concludit. *ita, & rectè Toletus.*

DICES 4. *CHRISTUS habuit diſcipulos antequam miracula ederet: ergo Judæi tenebantur ante miracula credere, CHRISTUM eſſe Meſſiam* ℟. 1. Simon Magus, Nicolaus, Cerinthus, & alij impoſtores habuerunt ſuos diſcipulos: ergo illis tenebantur credere. ℟. 2, Gratis aſſeritur CHRISTUM habuiſſe diſcipulos ante miracula: legatur c. 1. Joan: Alterâ, die, (*in Græco poſtridie*) quâ Jerozolimitani legati ad Joannem redierunt Jeroſolimam, reverſus JESUS a deſerto, inquo 40. dies, noctesque jejunio traduxerat, venit ad Joannem. Joannes videns JESUM ad ſe accedentem *ait*: *Ecce Agnus DEI* &c. a v.29 ad v, 35. Altéra die (id eſt vel ſecunda die a teſtimonio Joannis, ut putat Capellus, vel eàdem die, ſed hora diverſa, ut exiſtimat Vatabl: Toynard) ſtabat Joannes, & ex diſcipulis ejus duo. Et reſpiciens JESUM ambulantem dicit: *Ecce Agnus DEI* &c. His auditis duo diſcipuli Joannis, ſcilicet Andreas, ut patet, ex v. 40, & alter ignotus, forte vel Bartholomeus; ut quibuſdam, vel Joannes Evan: ut aliis, vel Jacobus Zebedæi ut S. Epiphanio placet, duo, inquam diſcipuli ſecuti ſunt Jeſum, non ut illi, ait Calmetus, ſemper hærerent, ſed ut illum viderent, alloquerenturque. Videns eos JESUS ſequentes dicit: Quid quæritis? reſponderunt: *Rabbi ubi habitas.*

Ve-

Venite, inquit JESUS, *& videte. Et manſerunt apud Eum illa die.* Andreas veſpere diſcedens a JESU invenit fratrem ſuum Simonem, & dicit ei: invenimus Meſſiam: & adduxit Eum ad JESUM. Andreas ergo, Simon, & alius ignotus diſcipulus Joannis, non erant vocati a JESU, neque venerunt animo illi ad hærendi: vocati vero ſunt poſtea Math: 4. &c. *vide reſponſionem ad 1. punctum* hujus Cenſuræ: Ergo ex hoc loco in ferri non poteſt illos factos fuiſſe Diſcipulos CHRISTI. In craſtinum voluit Jeſus exire in Galilæam, & invenit Philippum, & dicit ei Jeſus: *ſequere me.* Hi omnes unà profecti ſunt in Galilæam; interfueruntque nuptiis, at ſolus propriè dici poteſt fuiſſe diſcipulus Philippus, quia ſolus a Chriſtó fuerat vocatus: cæteri vero poſtea vocati Chriſto adhæſerunt, ut ſupra oſtendi.

DICES 5. *Diſcipuli crediderunt in Chriſtum ante miracula, ut legimus de Nathanaele, credendo vero non elicuerunt actum ſupererogatorium: ergo ante miracula credere tenebantur.* ℞. credidit Nathanael vel *fide humanâ, vel fide divinâ, vel per piam affectionem*, C. *fide divinâ ſubd: Ante miracula* N. *poſt miracula* C. Hoc verbum *credo* varias habet ſignificationes in ſcriptura. 1, ſignificat *ſcire, exploratum habere, experiri.* Sic dicitur: *Dæmones credunt, & contremiſcunt.* Theologi quoque docentes: Lumine naturæ cuique adulto notam eſſe Dei exiſtentiam, & ſimul negantes fidem, & ſcientiam poſſe ſtare in eodem intellectu, in hoc ſenſu cum Scoto accipiunt hæc verba: *Accedentem ad Deum oportet credere quia eſt, & quia Remunerator eſt.* 2 ſignificat *aſſentiri propter autho-*

thoritatem vel humanam, & eſt fides humana, idque aliquando *virtus moralis*, dum credimus homini fide dignô. Et de hac virtute morali D. Auguſtinus *in lib: de utilitate cred*: tractans, oſtendit, quam utile, ac neceſſarium ſit, cuivis homini, aliis in ſua arte peritis credere. vel propter *authoritatem Divinam*, & eſt fides divinâ, quæ a pluribus dividitur: *in Theologicam & non Theologicam*. Inter fidem divinam & humanam conſiderari poteſt *quaſi media*: ut fides illa, quâ credimus propter *Authoritatem Eccleſiæ* circa rem nec directè. nec indirectè definitam: ut has reliquias eſſe partem crucis, vel corporis huius, illiusve ſancti: Item: quâ credimus propter authoritatem PP, Theologorum, aut proborum hominum. Item: qua credimus aliqua, quæ vocantur *piè credibilia ſic dicimus nos credere B. MARIAM eſſe ſine labe conceptam*: quis tamen dicet nos credere fide divinâ, aut Theologica? Sic iuxta Scotum: Philoſophus Chriſtianus, cui eſt evidens Deum exiſtere credit ſolum *per piam affectionem*: quia ita eſt comparatus, ut ſi evidens non eſſet Deum exiſtere, tamen hoc crederet propter ſolam authoritatem divinam. Quâ fide Nathanael, & alii diſcipuli crediderunt initiô an fide humana, quæ eſt virtus moralis? an per piam aliquam ſolum affectionem? an vero propter authoritatem Dei manifeſte, & evidenter revelantis? diſceptari fortaſſe liceret. Nam fidem Apoſtolorum, initio præſertim. dubiam, fluctuantemque fuiſſe oſtendit 1. Exprobratio frequens facta illis a Chriſto incredulitatis. 2. Poſt plura patrata miracula in teſtimonium, quod Chriſtus eſſet Meſſias, & Deus, ſci-

licet poſt tertium a Chriſti baptiſmo Paſcha, quæſivit Chriſtus ex illis Math: c. 16. *Quem dicunt homines eſſe filium hominis?* Alii reſponderunt: *Joannem Baptiſtam, alii Eliam, alii Ieremiam, aut unum ex Prophetis. Vos autem quem me eſſe dicitis?* Cur Chriſtus ex illis hoc quæſivit ſi habuerunt fidem, idque divinam? Forte dices: ut daret occaſionem eandem fidem palam profitendi. Nunquid illam non fuerant iam profeſſi, & re ipſâ adhærendo illi, & verbis, tum confitendo illum ſingillatim ut legimus multis in locis Evangelii, tum præcipue quando bini & bini miſſi fuerant ad annuntiandam, miraculisq; probandam fidem *Math; c. 9. c. 10. c. 11. Marci c. 6. Lucæ c. 9.* quæ omnia acta ſunt ante confeſſionem Petri. Quid porro diſcipuli reſpondent? ſolus Petrus: *Tu es,* ait, *Chriſtus Filius Dei vivi.* Reſpondens Jeſus dixit illi: *Beatus es Simon Bar-Jona, quia caro & ſanguis non revelavit tibi, ſed Pater meus, qui in cælis eſt:* Quare hic Chriſtus dicit *Tibi?* Nunquid Annunciatio per Magos, Paſtores, Zachariam, Simeonem, Annam, Joannem Baptiſtam, ipſaque prædicatio Chriſti miraculis iam confirmata non erant revelatio Patris? Nunquid non revelavit Pater Andreæ, Philippo, & Nathanaeli; qui dicuntur credidiſſe iam ante miracula? Si enim crediderunt fide divinâ non potuerunt credere niſi propter revelationem Patris. Cur ergo Chriſtus dicit ſoli Petro: *Caro & ſanguis non revelavit Tibi, ſed Pater meus cæleſtis,* ideſt, ut ſubintelligi debet, *Tibi?* Et quando hoc Pater Petro revelavit? Hæc eſt abyſſus, quam ſolus ille exploratam habet, qui ſcrutatur, & illumi-

minat corda hominum. Si dicas: S. Petrum laudari ob fidem, & confeſſionem Divinitatis Chriſti. Verum & Nathanael idem videtur confeſſus fuiſſe: dixit enim: *Rabbi tu es Filius Dei, tu es Rex Iſrael.* Et Chriſtus omnibus Apoſtolis antea iam manifeſtaverat ſuam Divinitatem, miraculiſque probaverat. Denique probabilius videtur Petrum hic laudari propterea; quia & Meſſiam, & Deum Chriſtum eſſe crediderit, atque confeſſus fuerit. Nam poſt hæc præcepit ne cui dicerent illum eſſe Meſſiam. *Tunc præcepit diſcipulis ſuis, ut nemini dicerent: quia ipſe eſſet Jeſus Chriſtus* v. 20. Quodſi mordicus tenere pergas Nathanaelem fide divinâ credidiſſe, ego quoque mordicus negare non verebor, illum abſque miraculis credidiſſe! Lege *Caput 1.* Joannis. Philippus vocatus a Chriſto invenit Nathanaelem, & dixit ei. *Quem ſcripſit Moyſes in lege, & Prophetæ, invenimus Jeſum Filium Joſeph a Nazareth.* Nathanael, qui erat in ſcripturis verſatus non credit, ſed reponit: *A Nazareth poteſt aliquid boni eſſe?* Dicit ei Philippus: *Veni & vide.* Vidit Jeſus Nathanael venientem ad ſe, & dicit de eo: *Ecce verus Iſraelita, in quo dolus non eſt.* His verbis Jeſus manifeſtavit ſcientiam illam, quæ ſoli Deo convenit: ſcilicet ſcrutari corda hominum. Dicit ei Nathanael necdum credens, at multum ad fidem propenſus. *Unde me noſti?* Reſpondit ei Jeſus, & dixit: *Priuſquam te Philippus vocaret, cum eſſes ſub ficu vidi te.* Detegere intimos cordis receſſus, manifeſtare abdita, & remota, quo oculus non penetravit, nonne eſt inter miracula maximum? Hinc cedens evidentiæ Nathanael exclamat

Rab-

Rabbi tu es Filius Dei, tu es Rex Iſrael. Chriſtus porro non ſolum non reprehendit illum, quod non ſtatim & Philippo, & ſibi alloquenti ipſum crediderit; verum etiam maiora illi documenta exhibere promittit: *Quia dixi tibi: vidi te ſub ficu credis, maius his videbis: videbitis cœlum apertum & Angelos Dei aſcendentes & deſcendentes ſupra filium hominis.* Quod attinet alios diſcipulos ſive negavero illos crediſſe ante miracula, ſive conceſſero crediſſe, at non fide divinâ, coarguere me haud poteritis. Si primum: Andreas, & alter ignotus Joannis Diſcipulus acceſſerunt ad Jeſum necdum credentes, ſed exploraturi. Hinc vocant eum tantum Magiſtrum. *Magiſter ubi habitas?* Chriſtus, apud quem manſerunt die illâ miſcendo cum illis ſermonem potuit miraculô aliquô ſimili eius, quo Nathanaeli perſvaſit, probare illis ſe eſſe Meſſiam. Petrum ab Andrea fratre ſuo adductum nunquamque a ſe viſum Jeſus vocat de nomine: *Tu es Simon Filius Jona.* Tu vocaberis *Cephas.* En miraculum. Philippus ſequitur Jeſum vocantem: quia certus redditus fuerat de miraculis Chriſti a Petro, & Andrea popularibus ſuis, quorum ingenuitas illi perſpecta fuerat: atque hanc ob cauſam Evangeliſta addit. *Erat autem Philippus a Betſaida civitate Petri & Andreæ.* Si vero dixero: crediſſe illos ante miracula, at non fide divina, ſed aut humana, aut per piam quandam, affectionem: Proinde alios incenſos ſermone Chriſti dixiſſe: *invenimus Meſſiam,* alios narratione aliorum & acceſſiſſe, & ſecutos fuiſſe Jeſum ut explorarent quid rei eſſet. Si

hæc

hæc, inquam, dixero quid invenietis in Evangelio quo me convincere poſſitis ? Jmo videte quemadmodum poſſum argumentari, S. Joa: c. 2. dicit, *Hoc fecit initium ſignorum Jeſus in Cana Galileæ, & crediderunt in eum diſcipuli ejus.* Primum Chriſtus fecit miraculum: ergo & primum credidiſſe cenſendi ſunt Diſcipuli. Si primum crediderunt: ergo ante aut non omnes, aut non fide divinâ crediderunt.

DICES. *Primum miraculum edidit Jeſus in Cana Galileæ Joan. 2. v. 1. Hoc fecit initium dignorum Jeſus: Ergo Nathanael, & alii crediderunt ante miracula* ℟. cum Maldonato. Hoc erat primum miraculum *palam, & inſpectantibus pluribus ſimul* tum diſcipulis tum aliis editum C. primum editum etiam *privatim in oculis aliquorum* ſolum hominum N. Maldonatus exiſtimat B.V. MNRIAM ideo dixiſſe Filio: *vinum non habent* : quia iam ab ipſo miracula viderat patrata. Præſto erat Priſcis liber de infantia JESU Chriſti miraculis ſcatens, ex eoque SS. PP. quædam miracula ab infante, vel puero Jeſu patrata narrant. Ergo illi SS. PP. exiſtimarunt, non ſic a S. Joanne miraculum in Cana Galileæ vocari *primum*, ac ſi alia facta ſolum coram aliquibus Perſonis non præceſſiſent. Poſſet etiam intelligi : hoc fuiſſe primum miraculum *oculis, ſenſibuſque patens.*

DICES, *Tu loqueris de miraculis illis, quorum initium fecit Chriſtus in Cana Galileæ. Et verba Chriſti: Si opera non feciſſem &c. de his miraculis ſunt intelligenda. Ergo ſi Nathanael credidit ante hoc miraculum, falſum eſt: Nullum obligatum fuiſſe credere Chriſtum eſſe Meſſiam ſi mi-*

miracula non patraſſet. ℞. Pace veſtra liceat mihi dicere utrumque eſſe falſum. Nec mea, nec Chriſti verba ſunt intelligenda de miraculis, quorum initium fecit Jeſus in Cana Galileæ: ſed de omnibus miraculis, quæ fecit quocunque tempore in confirmationem, quod ſit Meſſias, ſive illa clam, paucis præſentibus, ſive palam & coram multis fecerit, modo evidenter conſtiterit illa facta fuiſſe, Ut enim aliquis obligatus eſſet credere Chriſtum eſſe Meſſiam debebat illi *evidenter* conſtare edita ab illo ſive clam, ſive palam fuiſſe miracula in confirmationem hujus veritatis: Conſtare autem poterat *evidenter* vel ab experientia, vel ex teſtimonio hominum. Miraculorum enim a Chriſto patratorum non aliqui ſolum homines, ſed tota Natio, ſeu potior pars illius teſtis erat: quia *pertranſibat ubique benefaciendo, & ſanando infirmos.* Jllis vero, qui narrantibus non putarent præſtandam eſſe fidem facile erat per ſe ipſos rem explorare, Chriſtum etiam ipſum accedendo: et cum ille ubique miracula patraret, poterant propriis oculis, & ſenſibus convinci de miraculorum veritate. Fingitur ergo non probatur, & mea, & Chriſti verba, Joan: 15 v, 24, referenda eſſe ad miracula illa, quorum initium fecit JESUS in Cana Galileæ.

DICES *Miracula licet ſint evidens motivum credibilitatis, at non ita neceſſarium ut ſine illo alia non ſufficiant ad inducendam obligationem credendi ut Notum Theologis.* ℞. Miracula non ſunt unicum, & neceſſarium motivum credendi *in hoc ſtatu Religionis Tranſ:* Nunquid poteris etiam nunc

con-

convincere Judæos,Mahometanos, Gentiles, Deiſtas niſi evidenter illis probes: facta fuiſſe miracula cum a Chriſto ipſo, tum ab aliis in confirmationem quod ipſe ſit verus Meſſias, verusque Deus, & homo? ſanctitas doctrinœ, & alij characteres, propriè loquendo, ſerviunt magis ad oſtendendam veritatem miraculorum, nimirum, quod illa a ſolo DEO facta fuerint, cum Veritas ipſa non poſſit patrare miracula in confirmationem malæ, aut falſæ doctrinæ. Deinde exiſtit ſemper evidens, atque perpetuum miraculum: *nimirum eventus prædictioni Prophetarum reſpondentes*, quo uti argumento pro veritate Religionis poſſumus.) Miracula non erant unicum, & neceſſarium motivum *in illo ſtatu, in quo erat Religio Judæorum. ſubdis : In hac Providentia* N, *in alia*. C. Mirum quantum hallucinamur, dum Religionem noſtram comparando cum aliis ſectis ab ea ad ſtatum Religionis Judæorum argumentum facimus. Sola Religio Catholica eſt *evidenter credibilis* : quia ſola habet characteres Divinitatis, & veritatis: aliæ autem ſectæ carent his characteribus. Hinc cuilibet infideli conferendo ſuam ſectam cum noſtra Religione evidenter poteſt conſtare ſuam eſſe falſam, noſtram veram, & divinam: Religio, vero Judæorum erat a DEO, doctrina eius ſancta, miraculis confirmata, ſanctorum virorum exemplis illuſtrata, Martyrum etiam ſangvine obſignata. Probibitumque erat addere ei aliquid, aut peregrinæ doctrinæ aut ſe Prophetas jactantibus faciles præbere aures. Finge nunc hominem aliquem mitti a Deo ad revelandum per illum Eccleſiæ aliquod do-

 gma,

gma, quod nec rationi, nec ſcripturæ, nec definitionibus Eccleſiæ, nec moribus conſtaret eſſe contrarium : tenereturne Eccleſia illi abſque miraculis credere? Caſus hic non eſt impoſſibilis: imo quotidie Poſtulatores Romæ verſantur, ut hic, vel ille referatur inter ſanctos agunt: probant teſtibus eorum vitæ integritatem, & ſanctitatem: Pronunciat etiam Eccleſia conſtare de virtutibus, vel de Martyrio, adhuc tamen miracula requirit. Quare? quia agitur de novo dogmate, vel quaſi dogmate. Tanto vero majus ius Judæi habebant exigendi a Chriſto miracula, quanto maiora erant motiva deterrentia eos a credendo. Prædixit : Moyſes *mittendum Prophetam*, ſed ſimul addidit: *ſicut me.* Quo vero documento conciliavit ſibi Moyſes authoritatem? miraculis. Depinxerunt Prophetæ Meſſiam, at tam obſcuris, coloribus, ut ſolum ille diſtingvi potuerit, quod eſſet patraturus miracula. Prodit in ſcenam Chriſtus : et Ipſe ſe, & aliquot homines afferunt illum eſſe Meſſiam, hoc eſt: Eum, qui ſtatum Reipublicæ Judaicæ evidenter a Deo conſtitutæ erat mutaturus, leges cæremoniales, & Judiciales, quæ erant a DEO datæ, abrogaturus, & novas rogaturus. Quid præterea? *dicit ſe eſſe DEUM?* Quid hic Judæus cogitaret? *Hic apparet homo, nullumque in eo video ſignum Divinitatis, & tamen arrogat ſibi Divinitatem? An non deteſtanda hæc eſt blaſphemia? ſi Deus: ergo homini huic divini a me tribuendi honores. At quam impietatem lex mea, lex divina magis deteſtatur, as Idololatriam? Unus eſt DEUS, plures Deos agnoſcere & ratio; & lex mea vetat. Hic vero*

dicit

dicit alium eſſe Patrem, ſe eſſe eius Filium, & utrumque DEUM. Ergo docet *me plures agnoſcere DEOS? Hæccine ego tam nova, tam inſolita. tam contraria legi meæ credam proficiſci a Meſſia. Ubi ſunt miracula, quæ Prophetæ ab eo patranda prædixerunt?* Hæc cogitanti Judæo poteratne eſſe evidens abſque miraculis Chriſtum eſſe Meſſiam? Poteratne exiſtimare ſe eſſe obſtrictum ſolis verbis hujus, ut videbatur, hominis fidem adhibere? Imo graviſſimi ſceleris reum ſe eſſe judicaret fidem habendo? Audiamus poſtremo D. Aug: Lib: 22 de Civit: c. 8 *cur, inquiunt, illa miracula, quæ prædicatis facta eſſe, non fiunt! poſſem dicere neceſſaria fuiſſe priuſquam crederet mundus, ad hoc, ut crederet mundus. Quiſquis adhuc prodigia, ut credat, inquirit magnum eſt ipſe prodigium; qui mundo credente non credit.* Ergo S. Aug: exiſtimavit neceſſaria fuiſſe miracula, ſcilicet in hac Providentia, quia in alia poterat per ſeipſum, aut aliis infinitis modis manifeſtare hominibus ſuam voluntatem, & illos erudire, aut relinquere in ſtatu puræ naturæ. Cum vero DEUS hoc elegit præſtare per homines, ne humana divinis miſcerentur, neceſſarium erat dare hominibus ſigna, quo ſe probarent eſſe a DEO miſſos. Hoc ſignum nunc ſunt miracula: ℟. 2. Miror tam incaute a Theologis proferri hanc propoſitionem, *Miracula non ſunt unicum, & neceſſarium motivum credendi.* Hanc enim propoſitionem hæretici mox pro ſcuto aſſument. Miracula, dicent, non ſunt unicum, & neceſſarium motivum credendi: Ergo vos Catholici non poteritis evidenter oſtendere Lutherum & Calvinum, qui dogmata ſua ex ſcriptura

probabant, non fuiſſe miſſos a DEO ad reformandam Eccleſiam.

DICES 8. *Samaritani crediderunt Chriſto absque miraculis.* ℞. Unde conſtat non edidiſſe Chriſtum miracula in Sichem? Multi contrarium putant, favetque eorum opinioni S. Lucas Act: 10 dum dicit: *Chriſtum pertranſiſſe bene faciendo, & ſanando omnes:* & S. Joannes affirmando pauca ſolum monumentis commendata e miraculis JESU, omnia vero nec ſcribi potuiſſe: Dum vero dicuntur: *crediſiſſe propter ſermonem ejus:* intelligendum propter ſermonem *miraculis confirmatum.* Sed demus: CHRISTUM nulla ibi miracula edidiſſe, ut putat S. Chryſoſtom: & Theoph: An non ingens fuerat prodigium, quod mulieri occultiſſimas vitæ actiones patefecerit? An non poterant intra ſpatium duorum dierum, & a vicinis, & a comitibus JESU, qui eum ſequebantur, evidenter edoceri de miraculis ab eo patratis?

DICES 9. *Chriſtus Regulum reprehendens ait: Niſi ſigna, & prodigia videritis non creditis. Ergo Chriſtus ſuppoſuit ſibi credendum, etiamſi nulla patraſſet miracula.* ℞. N. C. Jure merito reprehendit CHRISTUS Regulum: cui enim conſtabat evidenter de patratis a CHRISTO miraculis in confirmationem, quod ſit Meſſias, ille tenebatur credere: atqui Regulo id conſtabat: nam ſi non conſtaret certo, non veniret rogaturus ut ſanaret filium. Deinde S. Aug: Beda, Chriſoſt: Theophyl: Euthym: Maldon: Brugius, Calmetus docent: hominem non argui a JESU quod *nullâ ſit fide,* ſed quod *modica.* Niſi crederet Capharnaô non veniſſet incolumitatem filio poſtul-

ſtulaturus. Si ſatis fidei haberet, oraſſet tantummodo JESUM pro filio, & non rogaſſet, ut una deſcenderet: quaſi non poſſet abſens æque ſanare. ac præſens.

DICES *Judœi crediderunt abſque miraculis Barkokebœ & credendo ſeipſos condemnarunt.* Ergo *ſuppoſuerunt fuiſſe obligationem CHRISTO credendi abſque miraculis.* ℟. Stipes ſum, ſi hæc mihi ſerio a Theologis obijci credidero: *Condemnarunt ſe Judœi credendo Barkokebœ : Ergo tenebantur credere & CHRISTO abſque miraculis:* nonne rectius ſic ratiocinabimur: Judæi leviter crediderunt Barkokebæ: quia crediderunt abſque miraculis: Ergo & leviter credidiſſent CHRISTO, ſi miraculis non probaſſet ſe eſſe Meſſiam. Aut ſic: tenebantur Judæi credere CHRISTO ſolum dicenti ſe eſſe Meſſiam: Ergo tenebantur credere & Barkokebæ: quia & ipſe affirmabat ſe eſſe *Meſſiam*, & *ſidus illud Jacobi* prædictum a Balaam: confirmabant idem alij, & narrantes miracula, & promittentes libertatem ab ipſo Judæis reddendam, ipſe quoque habuit diſcipulos, qui ei crediderunt, & ad ipſum ſacerdotes Jeroſylymâ legationem miſerunt, ut ſcribit Joſephus. Denique ſi vobis Lutherus hoc proponeret argumentum: vos o Theologi creditis Livio, Plutarcho, Tacito, Polybio aliiſque hiſtoricis, gentilibus licet: Ergo multo magis obligati eſtis mihi credere: qui dogmata mea probo ex ſcriptura. Rideretis hoc argumentum: ridete & veſtrum.

DICES 10. *Joan: c.* 5 *CHRISTUS Judœos remittit ad ſcripturas: ſcrutamini ſcripturas, quia vos putatis* in ipſis vitam æternam *habere; & illæ*

ſunt

ſunt, quæ teſtimonium perhibent de me, Ergo CHRISTUS ſuppoſuit abſque miraculis dari obligationem ſibi credendi ℞. S. Cyrill. multique Interpretes ſic locum hunc exponunt: *vos ſtudioſe evolvitis ſcripturas, quia putatis in ipſis vitam æternam habere, at minime illas percipitis: opera vero, quæ ego facio non poteſtis non intelligere eſſe Patris: nam ſicut Pater ſuſcitat mortuos, & vivificat, ſic ego, quos volo, vivifico: cur ergo mihi non creditis?* hæc eſt argumentatio CHRISTI ℞, 2. Remittit CHRISTUS Judæos ad ſcripturas, ut in iis *evidentia motiva oſtendentia hunc hominem JESUM eſſe Meſſiam quærant, & inveniant*: N. remittit ad ſcripturas ut *convincantur, nullam illis juſtam ſuppetere rationem non credendi ſibi miraculis dicta etiam confirmanti.* C. CHRISTUS hæc verba protulit *ſanato paralitico*, & præmiſſâ longâ argumentatione, quâ probavit Judæis, ex miraculis patratis, ſe eſſe Meſſiam. Ratio autem, poſt hæc etiam documenta, remittendi illos ad Scripturas, hæc erat: quia alii eorum exiſtimabant violari ab ipſo Sabbathum doctrinamque tradi contrariam Moyſi: alij offendebantur, quod ſe diceret *eſſe DEUM*: alij humilitatem, & inopiam ipſius credebant alienam eſſe a Meſſia, quem Prophetæ *Regem, Victorem, & Salvatorem* fore depingebant. Propterea *magis quærebant eum Judæi interficere: quia non ſolum ſolvebat ſabbatum, ſed & Patrem ſuum dicebat DEUM, æqualem ſe faciens DEO.* Chriſtus ergo remittit illos ad ſcrutandas ſcripturas: non ut ibi quærant motiva *evidentia probantia hunc hominem eſſe Meſſiam*: Sed ut convincantur: 1. doctrinam ſuam non eſſe contra-

trariam Moyſi, ſed traditionibus, & ſuperſtitionibus Phariſæorum 2. Meſſiam, a Prophetis prædictum futurum & hominem, & DEUM. 3. Eundem Meſſiam fore & Regem, & Salvatorem, & ſimul pauperem, deſpectum & noviſſimum virorum. *Obſerva* CHRISTUM quatuor hoc in loco argumentis probare ſe eſſe Meſſiam, & DEUM 1mo teſtimonio miraculorum. 2do teſtimonio Joannis, quo tamen ſimul dicit ſe habere majus. 3tio teſtimonio Patris, per quod aliqui intelligunt ipſa opera CHRISTI, communia illi cum Patre, juxta verſum 17. *Pater meus uſque modo operatur, & ego operor*: alij vero *vocem de Cœlo.* 4to teſtimonio Scripturarum. Tria poſtrema non quidem ante miracula, ſed poſt miracula faciebant evidentiam ad credendum, hunc hominem eſſe Meſſiam, neceſſariam.

OBIIC: *B. V. MARIA, Paſtores, Zacharias, Eliſabeth, Simeon, Anna, Joannes tenebantur credere CHRISTUM eſſe Meſſiam.* Ergo *falſa eſt hæc propoſitio: nullus Judæorum tenebatur credere hunc hominem eſſe Meſſiam niſi CHRISTUS feciſſet miracula in confirmationem hujus veritatis.* ℟. Caute, quæſo, iſta inferas: ne dum me in gratiam Toleti damnas, etiam CHRISTUM ipſum coarguere videaris. Nam hæc Propoſitio: *Si opera non feciſſem &c.* Et eſt *in ſe indefinita, & a SS. PP. & Interpretibus melioribus indefinite accipitur*: cumque ſit negativa, ſic a Philoſophis juxta regulas Dialecticæ exponitur: *Nullus Judæorum peccatum haberet,* conſequenter nec teneretur credere, *niſi opera feciſſem*: Ergo ſi mea propoſitio eſt excluſiva, etiam & CHRISTI! ſi

mea falſa, etiam & CHRISTI. Horres hæc effutire? verum cur, quæſo, hoc non horruiſti antequam me condemnares? nam mea propoſitio eſt ſolum expoſitio verborum CHRISTI, ut ab ipſo CHRISTO, & a SS. Patribus accepta fuit.

℟. 2. Iſta propoſitio: *Niſi veniſſem & locutus fuiſſem* &c. juxta tuam interpretationem, & regulas Logicæ, ſic eſt exponenda: *Nullus peccatum haberet non credendo, ſi non veniſſem, & locutus fuiſſem*: atqui B.V. MARIA, & Eliſabeth etiam ante nativitatem: Magi, Paſtores, Simeon, Anna tenebantur credere antequam CHRISTUS locutus fuerat, & prædicaret, ut ſupponitis: Ergo hæc propoſitio in veſtro etiam ſenſu accepta eſt falſa. Deinde hæc Chriſti verba: *ſi opera non feciſſem*, &c. dicis cum Toleto pertinere ad turbas, quas excuſari potuiſſe aſſeris, ſi non credidiſſent non viſis miraculis, illis ſcilicet, ſecundum te, quorum CHRISTUS *initium fecit in Cana Galilææ*, & de quibus hæc CHRISTI verba intelligi debere contendis. Atqui B. V. MARIA, Joſephus, Magi, Paſtores, non ad Doctores, ſed ad turbas, & plebem pertinebant. Ergo ſecundum te hi excuſari poterant, etiam ſi non credidiſſent antequam CHRISTUS miracula, quorum fecit initium in Cana Galilææ, patraverat. En ut tute ipſum proprio gladio confodis!

R. 3. Nemo tam iniquus, rudiſque erit, qui a me his verbis excludi privatam revelationem credere poſſit. Nam hic examino: *quomodo vera a falſis miracula, quæ duo homines in confirmationem contrariæ doctrinæ facerent, eſſent diſcernenda.* Quatuor aſſigno regulas: quarum primam explicando dico:

dico: Miracula vera, quæ homo patrat in confirmationem doctrinæ, eſſe præcipuum, evidenſque argumentum doctrinam illam proficiſci a DEO. Nam DEUS non poteſt miracula patrare in confirmationem mendatii. Hanc aſſertionem confirmo verbis Nicodemi ad CHRISTUM, & ipſius CHRISTI. *Si opera non feciſſem &c.* Deinde hæc verba expono ſic: Et revera ſola miracula,,CHRISTI condemnabant infidelitatem Ju-
„dæorum (*ſcilicet eorum, qui non credidtrunt, nam*
„*eorum, qui crediderunt ſive propter privatam re-*
„*velationem, ſive propter miracula, non condemna-*
„*bant infidelitatem, ſed fidem probabant*) Nam ar-
„gumenta ex prophetiis: (hæc vox in noſtra
„lingvâ ſignificat *Prophetarum Libros*, quos Jo-
„annes Bapt: non ſcripſit) non oſtendebant evi-
„denter tunc, dum CHRISTUS in terris agebat,
„hunc hominem eſſe Meſſiam. Prædixerunt qui-
„dem Prophetæ mittendum a DEO Prophetam,
„deſcripſerunt, (*vide an hæc verba Joanni acco-*
„*modari poſſint:*) deſcripſerunt tempus, & cir-
„cumſtantias adventus ipſius, at non demonſtra-
„bant clare hunc hominem JESUM natum ſub
„Auguſto, eſſe illum Prophetam prædictum. Sola
„miracula poterant evidenter probare: hunc ho-
„minem JESUM eſſe illum ipſum, quem venturum
„Prophetarum vaticinia annunciarunt: adeo, ut
„ſi CHRISTUS miracula non patraſſet, nullus
„eo in terris agente fuiſſet obligatus ad credendum eum eſſe Meſſiam. Ex hoc ergo argumento, & modo, quo illud tracto, patet ſenſum hujus propoſitionis hunc eſſe: nullum Judæorum, eorum præcipue, de quibus CHRISTUS Joa: c, 15.

v. 22.

v. 22. locutus fuerat, obligatum fuiſſe ad credendum CHRISTUM eſſe Meſſiam, propterea ſolum: quia affirmabat ſe eſſe Meſſiam, niſi miracula in confirmationem hujus veritatis patraſſet. Quis ergo inferet his verbis excludi a me revelationes privatas? Exploratum enim eſt omnibus DEUM poſſe *aut per ſe*, aut per *Angelos*, aut *per homines* revelare credenda. Cum vero dico miracula vera homini patranti credendum eſſe, quia ſunt evidens ſignum revelationis Divinæ, eo ipſo ſuppono, ſi aliunde eſſet evidens DEUM revelare, obligatos nos eſſe ipſi credere. Agens vero de arreptiis probavi: Scripturæ & Eccleſiæ eſſe credendum. Hâc ergo propoſitione: *Nullus tenebatur credere CHRISTUM eſſe Meſſiam, dum agebat in terris niſi feciſſet miracula*, hâc in quam propoſitione non excludo revelationes privatas: quia hâc propoſitione utor ſolum ad probandam hanc aſſertionem: *homini facienti vera miracula in confirmationem quod ſit miſſus a DEO, eſt credendum, & non facienti, non eſt credendum, ideo ſolum, quia ſe dicit eſſe miſſum a DEO. Obſervo hic*: non accurate ad me redarguendum probari a Cenſoribus Joannem fuiſſe Prophetam ſicut cæteros hoc argumento: quia *& prædixit adventum CHRISTI* Joa: 1. *& oſtendit clariſſime eſſe hunc, & non alium.* Poteſtne dici Joannes prædixiſſe adventum CHRISTISTI, quem annunciabat jam natum, & adultum digito commonſtrabat? Dicit quidem Joannes, *qui poſt me venturus eſt.* verum præmiſit: *Medius autem veſtrum ſtetit, quem vos neſcitis.* Ergo his verbis, *qui poſt me venturus*, non adventum, ſed manifeſtationem intel-

tel-

tellexit. Eſt ne vero idem *prœdicere manifeſtationem, & prœdicere adventum,* & multo magis *& prœdicere tempus & circumſtantias* adventûs, quibus verbis uſus ſum, ut oſtenderem me non loqui, niſi de priſcis Prophetis. ℞ 4 Nego B. MARIAM, Paſtores, &c, credidiſſe abſque miraculis. Jilæ enim revelationes erant vera miracula, & miracula CHRISTI, ut oſtendi ſupra, & fides his revelationibus innixa eſſentialiter dependebat a miraculis CHRISSI. Nam ſi per impoſſibile, CHRISTUS non edidiſſet miracula, non poterat e. g. B. MARIA exiſtimare Prophetas non fuiſſe locutos de veris miraculis a Meſſia edendis: nam tota ſynagóga, quam fuiſſe infallibilem credit Bellarminus, de veris miraculis interpretabatur illa vaticinia, ut patet tum ex eo, quod CHRISTUS Jſaiæ verba ſuis miraculis accomodaverit, tum ex verbis turbæ dicentis: Joa: 7. v. 31. *CHRISTUS cum venerit, nunquid plura ſigna faciet, quam quæ hic facit.* Igitur debuiſſet exiſtimare aut non fuiſſe ſibi revelationem factam a DEO, aut perperam a ſe fuiſſe illam intellectam.

DICES. *Etiam paſſio, mors, reſurrectio &c. prœdicta a Prophetis fuerunt. Ergo etiam expectare debebant eventum horum prœdictionum.* ℞. Expectare debebant harum prædictionum eventum: *hoc eſt: eventura credere* C. hoc eſt *ſuſpendere fidem uſque ad hunc eventum.* N. Judæi poſtquam evidenter convicti erant de miracalis a CHRISTO editis in confirmationem, quod eſſet Meſſias, tenebantur non ſolum credere eum eſſe Meſſiam, ſed etiam omnia illa credere eventura, quæ prædicta erant de Meſſia. Quanquam ma-

gnum

gnum eſt diſcrimen inter iſta. Miracula clara prædicta erant: paſſio, mors, reſurrectio tam obſcure, ut ne diſcipuli quidem ſæpius CHRISTUM hæc ſibi exponentem, & prædicentem intellexerint: Miracula prædicta erant tanquam ſigna, & documenta, propter quæ CHRISTUS in terris adhuc agens credi debuit eſſe Meſſias, & DEUS; paſſio, & mors communia erant & juſtis, & ſceleratis ſi ſecundum ſe ſpectentur; reſurrectio vero debebat probare illum fuiſſe Meſſiam; hoc eſt credentes confirmare, non credentes tam illos, qui cum CHRISTO vixerunt, quam eos, qui hucuſque vixerunt, & vivent uſque ad finem mundi, convincere, eum fuiſſe, & eſſe Meſſiam, atque DEUM & hominem. Hæc vero dum de reſurrectione dico neque excludo miracula CHRISTI, neque miracula Apoſtolorum.

OBIICES. Ergo hæc tua propoſitio: *Nullus tenebatur credere CHRISTUM eſſe Meſſiam, dum agebat in terris, niſi feciſſet miracula, eſt evidenter falſa.* ℞. Ergo Propoſitio evidenter contraria ſanæ rationi, ſcripturæ, expoſitioni SS. Patrum, Interpretum, Theologorum, propoſitio, quæ præcipuum Religionis veræ fundamendum evertit, quæ infideles in ſuo errore confirmat, quæ impoſtoribus authoritatatem conciliat ad decipiendos fideles: verbo, propoſitio, ex qua neceſſario inferri debet.

Quemlibet hominem obligatum eſſe ſub peccato mortali aut mutare Religionem nova dogmata recipiendo, aut admittere mutationem in Religione, quæ eſt manifeſte revelata a DEO, propter teſtimonium unius hominis, aut aliquorum di-

dicentium : ſe eſſe miſſos a DEO, aut narrantium privatas revelationes & miracula. hæc, inquam, propoſitio eſt evidenter vera. Credamne hæc monſtra naſci in capite orbis, & Religionis? fallor! ſpectra hæc ſunt, quæ mihi non vigilanti, ſed dormienti obiiciuntur: alias credere deberem Judæos peccaſſe non agnoſcendo Herodem pro Meſſia, Caligulam pro DEO, & Catholicos non credendo Lutherum, & Calvinum miſſos eſſe a DEO ad reformandam Eccleſiam : quia id ipſi, aliique de iis affirmabant, & miraculorum narratione confirmabant.

LOCUS LIBRI.

Pag : 128. Licet P. Chifflet Soc: JESU & libris; & imaginibus, & breviariis antiquis probet certitudinem hujus hiſtoriæ : quod ſcilicet S. Antidius Ep: a dæmone per eum adiurato portatus fuerit per aera Romam, ut peccati carnalis commiſſi Papam admoneret, tamen RR. PP. Bollandiſtæ, itidem ſocietatis JESU ſcriptores Actorum SS:um per totum orbem inclyti ſcientià incertum id eſſe dicunt. Similem narrationem habemus de S. Maximo Ep. Turonenſi quaſi eodem modo monuiſſet Leonem Papam peccati, quod commiſerat, dando fæminæ manum oſculandam cujus Leonem adeo pænituit, ut abſciderit ſibi manum, quam tamen B. V. miraculoſe reſtituit. Aſt hæc narratio magis eſt fabuloſa quam prima.

CENSURÆ PARS I. & RESPONSIO. *

I. *Bollandiſtæ citant quidem Chifflet, non dicunt tamen eum fuiſſe Societatis JESU.* ℞. At Chifflet

* Hæc cenſura, & reſponſio ſcripta ante abolitionem Societatis JESU, & ab hominibus olim ejuſdem Ordinis.

flet ſcribit ſe eſſe Soc: JESU, at Calmet Libro de Apparitionibus, Vitæ quoque Sanctorum, & Libri varia exempla continentes, ſcriptique noſtrâ vulgari linguâ dicunt eum fuiſſe Jeſuitam, eiuſque Authoritate probant veritatem huius narrationis. Denique quiſque legere poteſt in Dictionariis hiſtoricis, quæ puerorum etiam manibus teruntur, Chiffletum fuiſſe Jezuitam.

2. *Proinde & Author id dicere non debuit.* R. cur non licet mihi dicere quod alij & dixerunt, & ſcripſerunt, & dicent, ſcribentque? Ergo non licebit fateri Marianam, Berruyer, Buzenbau, la Croix &c, contra quos tantæ ſunt tempeſtates concitatæ, fuiſſe Jezuitas? Ergo comburenda hiſtoria Societatis, in qua plurimi Sociorum errores narrantur? Et quod nam crimen tam immane eſt Chiffleti, ut ne quidem nominare eum liceat? An quod natus fuerat Chiffletus? a propterea maioribus ejus memo litem movit: an quod fuerat Societatis JESU? at hoc nulli crimini eſt datum, nec dabitur aliquando, aut ſi daretur commune eſſet nobiſcum: an quia erravetit in facto hiſtorico: maiorem, ut video, vultis conciliare hominibus Societatis infallibilitatem, ac ipſo ſummo Pontifici: nam vultis, ut credatur Jezuitas ne in quæſtione quidem facti errare poſſe. Verum & ego, & vos ipſi magno argumento ſumus, id non eſſe verum.

3. *Ne ſcilicet præberet vulgo occaſionem contemnendi doctrinam, & ſcripta virorum e Societate.* R. Et quæro ex vobis: quæ eſt doctrina virorum Societatis, præter eam, quam Eccleſia amplectitur, & præter paucas quæſtiones ab Inſtituto

præ-

præſcriptas? Eſtne aliqua eorum doctrina fixa, & communis omnibus? Nunquid non ſunt Jezuitæ alii Thomiſtæ, alii Scotiſtæ, alii Suarezii, Vazquezii, Sanchezii &c. alii Arabum, alii Carthesii, Gaſſendi, Newtoni, alii Ecclectici &c: Inter tot, tamq; varias, & oppoſitas ſectas Jezuitarum fieri ne poteſt, ut non ab externis tantum, ſed ab ipſis quoq; Jezuitis unius ab alio non contemnatur doctrina? Imo ſi eſt falſa, ſvadendum, ut contemnatur. Nunquid ego non ſum Jezuita, & tam vere, licet non tam fortaſſis bene, ac vos? cur ergo non eſtis veriti condemnare ad infamem rogum librum, & domi, & Romæ approbatum, magnaque ex parte vulgatum, & condemnare, propter, neſcio quem, Authorem, qui vocatur *Videtur*, licet aliter videatur SS. PP. & probatiſſimis quibuſvis Scriptoribus, ut probavi, ſperoque me probaturum.

4. *Quod eoſdem Auctor dicat ſibi contradicere.* R. male infers: dicit Author contradicere Bollandiſtas Chiffleto: Ergo dicit homines Societatis ſibi contradicere: diſtinguere enim debes ſententiam Societatis, a ſententia hominum particularium, quæſtionem juris a quæſtione facti. *Dicit auctor Jezuitas ſibi contradicere*: Etſi id verum eſſet, quid tum? an forte, hoc eſt unum è commentiis illis myſteriis revelare? diceret auctor id, quod omnes Jezuitæ quotidie in ſcholis pro ſuis quique opinionibus digladiando etiam pueris palam facere non verentur: diceret id, quod quiſque in obviis illorum libris Theologicis, Philoſophicisque, quando vult, legit: diceret id, quod ipſum Inſtitutum permittit, ita ut

ne

ne quidem S. Thomam excipiat: diceret id, quod
modernus A, R, P. liberum fecit, dum, præſcri-
bendo Theologum prælegendum, conceſſit ab
ejus aliquando opinione recedere, hoc eſt: ipſi
contradicere, & contradicere publicis in ſcholis,
coram juvenibus, quibus nullus os obſtruet, ne
idem vulgari lingvâ plebeculæ, ipſiſque ancillis
narrent. Quid magis alienum a mente Societa-
tatis, quam docere probabiliſmum, cum inſtitutum
ſequi probabiliora commendet? Et tamen non
ſolum paſſim docetur, ſed etiam authores eum
propugnantes pro ſcholis præſcribuntur. Quid
porro, verenturne aliqui Jezuitæ huic torren-
ti ſeſe opponere? Legiſtis Thyſium Gonzales,
Pallavicinum, Thomam Munieſsa, Ignatium Ca-
margo, Michaelem Elizalda, Simonetti, Antoine
&c. non ſolum illi hanc doctrinam, ipſoſque
docentes maximis, quibus poſſunt, viribus oppu-
gnant, reprehendunt, damnant, ſed & amaris la-
chrymis, eum aliquando docuiſſe, deflent. Ergo
aut omnes libri Jezuitarum, qui probabiliſmum
tuentur, aut illi, qui probabilioriſmum defendunt
comburantur. Comburantur omnes noſtrorum,
præſertim Philoſophorum hujus ætatis, lucu-
brationes: nam quid eſt tam contrarium ac eo-
rum doctrina doctrinæ primorum in Soeietate
virorum, & quæſtionibus ab inſtituto præſcriptis?
Comburite quoque veſtra, quæ in ſcholis dicta-
ſtis ſcripta: neque enim dubito, quin in illis re-
periantur ſæpe hæc verba: *Eſt contra Suares, Vaſques, Thyrſum, Ulloa* &c, quos homines So-
cietatis fuiſſe pueri, puellæque legunt in imagi-
bus. Prohibete quoque ne Jezuita contra Jezui-

tam

tam argumentetur: atque hæc omnia facite propterea: *ne Societatis homines videantur ſibi contradicere.* Memineritis tamen à S. Patre dari cuique poteſtatem promendi modeſte ſuam ſententiam, *ut veritas locum habeat.* Ingens volumen conſcribere poſſet, qui vellet texere catalogum Jezuitarum contra Jezuitas ſcribentium: ſed ſcientibus, at neſcire ſimulantibus, pluſquam oportuit, dixi.

CENSURÆ EIUSDEM PARS 2da & RESPONSIO.

1. *Dicit Author incertum eſſe dicunt Bollandiſtæ, aſt Bollandiſtæ dicunt eſſe fabulam: igitur & Author dicere debuit, fabulam eſſe dicunt.* ℟. O inexpiabile crimen! Author citando Bollandiſtas utitur aliis phraſibus, & non exſcribit illos verbum de verbo: ergo liber ejus comburatur. O quam benevolè mecum fortuna egit, quod vobis non ſuggeſſerit hanc ratiocinationem, ſeu potius accuſationem. *Sacra Scriptura ſcripta eſt aut linguâ græcâ, aut hebræâ, tu vero eam citas linguâ tuâ profanâ ſarmaticâ: Ergo tu ipſe etiam aut rogo, aut triremibus es dignus.* Non vos tamen pigeat paululum demittere obtutum ad ultimum verſum loci, quem hic exſcripſiſtis, legetis ibi eadem etiam verba, quibus uſi ſunt Bollandiſtæ ſic enim claudo narrationem de S. Leone: *aſt hæc narratio magis eſt fabuloſa, quam prima.* At pace veſtrâ liceat mihi dicere, & à Bollandiſtis vocari hanc narrationem, *iam fabuloſam narrationem,* iam *incertam,* iam *apocrypham.* In annotationibus quoque refero eadem verba, dum dico:

Narrationem hanc a Bollandiſtis inſcribi hoc titulo: *Fabuloſa narratio:*

2. *Incertum enim, & fabula plurimum inter ſe diſtant.* ℞. Vellem oſtenderetis, quot leucarum eſt iſta diſtantia? nam Ca epinus dicit non ſolum illa è proximo ſe contingere, ſed idem quoque eſſe. Dicit enim: *fabulam eſſe narrationem incertam, & rumorem populi ſparſum, remque divulgatam a fando dictam:* Hinc Romani non credentes narrantibus reſpondere ſolebant: *Fabula.* Hinc Juvenal: *It nova, nec triſtis per cunctas fabula cœnas.* Et *Terent: Hecir: Iam nos fabulæ ſumus Pamphile, ſenex, atque anus.* Et *Martial: Lib: 1. Quodque tibi mæchum fabula nulla dabat eſſe videbaris, fateor, Lucretia nobis.* Accipitur *etiam pro narratione ad delectationem compoſita.* Et hanc ſignificationem utramque habet fabula etiam in noſtra lingua, licet ſignificet *narrationem compoſitam, & fictam frequentius.* Cum ergo de S. Antidio narrationem aliqui probent eſſe veram, decuit, ut modeſtiore uterer verbo, ne eos tanquam fabularum architectos traducerem, quibus etiam contradicere crimini ducitis, Ah piget, pudetque de tantis nugis cum tantis viris diſceptare! Videte porro, quam mihi opinionem de veſtra integritate ingeritis. Dixi *incertam eſſe narrationem* de S. Antidii translatione per dæmonem: at fabulam eſſe, debuiſti dicere, ut dicunt Bollandiſtæ, vociferamini: dixiſſem *eſſe: fabulam?* mendacii a me turpiſſimi argui & Chiffletum, & antiquiratem, quam ſanctiſſimam fuiſſe creditis, clamaretis. Utrumque dixi, ſcilicet *& incertam, & fabuloſam eſſe narrationem, & ipſam fabulam,* ne-

nec ſic quoque vobis ſatisfacio: velletis, ut eadem verba ad tædium uſque repeterem. Quo me vertam, æquiſſimi judices, neſcio?

CENSURÆ EIUSDEM PARS 3tia & RESPONSIO.

1. *Quamvis verum ſit, quod Author affert ex Bollandiſtis, tamen in utraque narratione omittenda erat cauſa, etſi fabuloſi facti* ℞. At eam non omiſit Shiffletius, nec P. Petrus Skarga, nec alii Scriptores Poloni tum Annalium Eccleſiæ, tum vitarum SSrum: imo non ſunt veriti factum iſtud probare tanquam certum ad incutiendum, ut putabant horrorem peccati, & augendam fidem, & pietatem, plebeculæ. Imo Chiffletius ſuſpicatur hunc Papam fuiſſe S. Innocentium, eumque commonitione S. Antidij excitatum egiſſe poſtea vitam, ob quam inter Sanctos referri promeruit.

2. *Ne ea ingereret vulgo legenti ſuſpicionem de Prælatis Spiritualibus, etiam ſummis, peccatorum carnalium.* ℞. Ergo ſupprimendæ ſunt vitæ Pontificum, Annales Eccleſiæ omni lingvâ vulgati, nam in illis narrantur graviſſima ſcelera etiam ſummorum Prælatorum: ergo expungendæ è canonibus pænitentialibus, & Corpore juris ſacri graviſſimæ pænæ contra Prælatos; & clericos incontinentes, concubinarios &c Expungenda quoque ſunt hæc verba ex Evangelio Math: 23. v. 2. *Super Cathedram Moyſi ſederunt Scribæ & Phariſæi: omnia ergo quæcunque dixerint vobis ſervate, & facite, ſecundum opera vero eorum nolite facere: dicunt enim & non faciunt.* Quid iam di-

dicam de operibus SSrum PP.? iuditio veſtro totti univerſi huius materia ætherea non ſufficeret ad expiandas eorum declamationes contra malos Prælatos. P. Skarga & in Amalibus Eccleſiaſticis & in geſtis S. Leonis, ſcribit, hiſtoriam manus ab eo abſciſſæ pictam fuiſſe in parietibus Eccleſiarum Romæ, quam Clemens tandem VIII eradi curavit. Ergo nec P. Skarga narrando, nec Prælati ipſi Romani permittendo pingere, putabant ſe crimen aliquod committere contra ſummos Prælatos. Credite mihi non eſt plebs tam incurioſa ut id ſolum ſciat, quod Prælati agunt in templis. Denique iudicate ipſi veſtram ſententiam: non fuit crimen, quod alii aſſeruerint & factum & cauſam, tanquam rem certam: ego reus ſum, qui nego & factum & cauſam!

LOCUS LIBRI.

Pag: 133. v. a fine 4. Quomodo aut volant, aut in quo (ſagæ) in ſcopis, capris, aſinis, in baculis inunctis pinguendine infantium non baptiſatorum occiſorum: Aliæ ſeipſos tantum inungunt.

CENSURA.

Etſi hæc deſumpta ſint ex Maiolo ac Authoribus eaque propterea ut oſtendat Author, quam vana ſit opinio de volatu per aera operâ dæmonis ad eius convivium, quia tamen hæc ſcribuntur in Lingua vulgari, timendum ne aliquæ Perſonæ, præſertim fæminæ nimis curioſæ cupientes volare occidant infantes, aut aliis variis utantur unguentis ad eum finem. Itaque non convenit hæc vulgare. ℞. O Præclarum cuſtodem ovium, ut aiunt, lupum! Si quis po-

cu-

culum conditum veneno porrigeret amico tuo, hortareturque ut biberet: moneresne illum de veneno? Profecto, inquis. At forte, ille vel pertæſus vitæ, vel explorandi cauſâ vim veneni, vel illectus dulcedine liquoris illud propter monitionem tuam promptius deglutiret. Apage, inquis, cum iſto inani metu. Hæ fabulæ, quas adduco, tam ſunt vulgares, ut pueri, puellæque, eas melius linguâ vulgari narrare, quam orationem Dominicam recitare, ſciant. Venenum hoc illis propinatur a Matribus, Nutricibus, Præceptoribus, Scriptoribus, & tu damnas monentem ne credant, dicisque. *ſed hæc vulgari non debent ne fœminæ curioſæ occidant infantes,* At ego dico id eſſe impoſſibile: quid tum? *hæc vulgori non debent: ne fæminæ curioſæ occidant infantes.* At multo facilius hoc ſcelus admittent, ſi crediderint, ut credunt, id & poſſibile, & verum eſſe, nulluſque ſit, qui dedoceat? quid tum credant: *at a te vulgari hæc non debent: ne fæminæ curioſæ occidant infantes.* Intelligo iam quid vultis dicere: quia alii poſſibilem illum volatum eſſe docent, fæminæ curioſæ non occident infantes: quia vero ego doceo, impoſſibilem eſſe, occident infantes. Neſcivi me ſub tam fatali ſtella natum eſſe, ut alii id ſe debere omnino facere credant, quod ego doceo & non eſſe faciendum, & non eſſe poſſibile.

LOCUS LIBRI.

Pag: 135 ſæpe autem ſedet Diabolus in ſolio ſpeciem capri habens cum cornibus in fronte, & (in poſterioribus) inter cornua autem lampadem: & inſuper ſub cauda faciem humanam. *Et in*

An-

Annot: p. eadem Maria de Aſpilcovette confeſſa eſt: Diabolum habere ſpeciem capri cum cauda, & facie humana ſub cauda. Addunt: ſagis oſculantibus poſteriora diaboli dari ab eo quendam nummum. Joannetta d'Abadie de Siboro ſedecim annos nata confeſſa eſt: diabolum faciem humanam in fronte habere, & in poſteriori parte ut Janum. *p. 136. in eadem annot: v. 11.* Joanna d'Hortila 14 annos nata confeſſa eſt: maturioris ætatis ſagas oſculari diabolum infra caudam, teneræ autem ætatis ſagas ipſe diabolus oſculatur, quod etiam ipſi fecit, *de Lancre. pag: eadem v. 6.* Diabolus autem ut ſe contentum eſſe oſtendat, in foveam factam in terra mingit, & hâc urinâ aſpergit omnes. *Pag: 157 in Annot: ooo.* Imprimit illis (diabolus) ſignum in poſterioribus, mulieribus in lumbis. &c.

CENSURA.

Hœc inſanœ hominum mentis deliramenta tam inhoneſta probari non poſſunt in libris etiam ſœcularium, multo minus in libro hominis religioſi. ℞. Fateor: deliramenta hæc eſſe, verum quotidie narrantur, ſcribuntur, teſtimonio judicum, magnorumque ſcriptorum, & Religioſorum fere omnis ordinis, & Jezuitarum, probantur, atque creduntur. Eſtne indignum homine religioſo credulam, & deceptam plebeculam dedocere? Quod ſi verba offendunt, prohibete ne linguâ, præcipuè vulgari legatur, in Eccleſia hiſtoria fæminæ *fluxum ſangvinis patientis*... neque legatur Evangelium de *Conceptione, nativitate Chriſti Domini*, *de purificatione B. V. Mariœ*, neque citentur a

Con-

Concionatoribus textus, in quibus dicitur: *percutiam, interficiam mingentem ad parietem.* Draco rufus *&* *cauda eius* trahebat tertiam partem ſtellarum. Jubete, quoque auferri omnes imagines è templis præcipuè S. Michaelis, aliorumq; in quibus dæmon repreſentatur caudatus. Prohibete ne in ſcholis explicetur pueris Commenius, aliique Nomenclatores, è quibus hæc, & alia, pueri diſcunt. Conſulite veſtram quoque conſcientiam: quoties iiſdem, aut ſimilibus verbis uſi eſtis aut narrando de veſtris, aliorumque morbis, aut in ſcholis explicando ſtructuram corporis humani, libroſque de generatione, & corruptione. Vos vero, ut video, vultis me puriorem reddere ipſis ſcriptoribus divinis, ſed equidem haud me tali dignor honore.

LOCUS LIBRI.

Pag: 184 v. 6. S. Auguſtinus l. 20 de Civit: Dei obiicit ſibi quæſtionem: cur S. Apoſtolus hæc miracula (Antichriſti) vocet mendacia, ſed hanc difficultatem non ſolvit.

CENSURA.

Hoc erat omittendum: cum nihil utilitatis afferat, & tanti Doctoris imminuat exiſtimationem: nam rudes vulgari ſermone hocce legendo aut imprudentiæ, aut inſcitiæ arguerent S. Doctorem. ℟. Hunc locum, quem reprehenditis ſumpſi ex Benedicto XIV: lib: 4. de miraculis. Quare occurrite maturè malo. Quem enim non decipiet Authoritas Pontificis, & tanti Pontificis, Capitis

&

& Doctoris Eccleſiæ? leget verba hæc in operibus eius poſteritas, credet, exſcribet vulgabit, imprimet, atque ita penitus authoritas concidet Auguſtini, Quid vero facietis cum Alexandro VIII, qui damnavit hanc propoſitionem: *Ubi quis invenerit doctrinam in Auguſtino clare fundatam illam abſolute poteſt tenere. Et docere non reſpiciendo ad ullam Bullam Pontificis.* Nonne hoc eſt arguere Auguſtinum inſcitiæ, docendo: non omnem doctrinam Auguſtini poſſe teneri? Quid facietis cum libris vulgari etiam lingua editis Confeſſionum, Retractationum, aliiſque, ubi Auguſtinus ipſe, ſe multa ignoraſſe fatetur? Quid facietis Theologis, qui juvenibus nonverentur in ſcholis detegere multis in rebus aut dubitationem, aut ignorantiam Auguſtini? Nam credite mihi non omnes latinæ lingvæ periti ſunt Doctores Theologiæ: rudiores illi quandoque ſunt ipſô vulgô. Et ſi id non eſſet: periculoſius eſt, ipſique Auguſtino iniurioſius illius exiſtimationem minui apud ſapientes, quam apud ſtultos. Dum vero hâc de re deliberabitis, monete nos, quæſo, num debemus propoſitionem damnatam ab Alexandro VIII, & in ſcholis coram juvenibus, & in confeſſionalibus coram plebecula, etiam vulgari ſermone, producere, vel ad redarguendos errores abutentium authoritate Auguſtini, vel ad vindicandam Authoritatem Eccleſiæ.

Interim, quæro ex vobis: Quid eſt iniurioſius Auguſtino: an dicere, illum aliquam non ſolviſſe quæſtionem, dubiumque hæſiſſe? an dicere illum erraſſe? alterum dicitis eſt iniurioſius. Quare

er-

ergo non damnantur ad rogum & Theologi, & Philoſophi, & alii, qui adducta opinione Auguſtini contrariam amplectuntur, docent, & propugnat? Quare vos ipſi explicando illa Chriſti verba: *Si non veniſſem, & locutus fuiſſem &c.* dixiſtis cum Toleto, *hæc Auguſtinus verba refert ad peccatum infidelitatis, tamen hæc accomodatius ad peccatum odii, perſecutionis, & ignorantiæ craſſæ ſimul eſt referendum,* Dicere enim verba hæc *accomodatius referri ad alia peccata, quam ad quæ refert Auguſtinus,* eſt idem ac dicere: Auguſtinus erravit intelligendo hæc verba Chriſti de ſolo peccato infidelitatis, nos vero cum Toleto non erramus? Quare denique in hoc ipſo libro non notaſtis cenſurâ, illas opiniones, quas defendo contra Auguſtinum? O quam hic clamaret Horatius: Cum tua pervideas oculis mala lippus inunctis, cur in amicorum vitiis tam cernis acutum? Ita eſt ingenium hominum: plerique nobis pugnantia loqui videntur, nos ipſos intermimus, & non ſentimus. Citatio, dicitis, Auguſtini in hoc libro nihil ad fert utilitatis: at veſtra citatio quid adfert utilitatis, niſi ut oſtenderetis: *Vos, & Toletum melius ſapere, quam Auguſtinum.* Citationem a me Auguſtini exigebat argumentum. Agitur enim ibi de ſenſu verborum S. Pauli, quæ iuxta vos ipſos non debent interpretari, niſi juxta mentem Eccleſiæ, & SS. PP. Ergo neceſſarium erat oſtendere, quid SS. PP. per illa verba intellexerunt.

LO-

LOCUS LIBRI.

Pag: 191. Inducitur Amram alloquens Moyſem filium : Dicam tibi hiſtoriam mundi , ut audivi a Levi avo meo & *Pag, 192 in Annot: dicitur* Levi mortuus anno 2392: Amram vero natus Anno 2402.

CENSURA.

Igitur anno decimo poſt mortem Levi natus eſt Amram : quomodo igitur dicere potuit ſe audiviſſe geſta mundi a Levi ℞. Hic primum error ſive ſcriptoris, ſive Typographi manûs recte eſt obſervatus. Amram ergo iuxta Chronologiam, quam ſequor, natus eſt anno 2359. vixit 137 annis : proinde vixit cum Levi annis circiter 33. cum Moyſe, qui natus eſt anuo 2433 annis 63.

LOCUS LIBRI.

Pag: 203. v. 1. Genius appellatur a naſcendo (geno)

CENSURA.

Hæc vox non eſt latina. ℞. Magnum operæ pretium retuli ex peregrinatione libri mei Romam : nam didici verbum *geno* non eſſe latinum, quod tamen ego a puero inſtitutus credideram eſſe latinum, ſed *obſoletum*. Miror itaque cur illo uſi ſunt homines latini? ſcilicet Varro, & *in Anabat:* & *lib:* 1 *de re ruſtica: quædam loca genunt.* Et Juris conſulti in libris de legibus : *Si qua filia ſi quis filius genitur.* Et Priſcia : Lib: 10. *Gigno pro quo geno vetuſtiſſimi protuliſſe inveniuntur.* Sed ſiquidem dicitis non eſſe latinum, credo : ne-

que

que enim exiſtimare poſſum vos in medio latio verſantes peregrinari: cuperem vero diſcere, cujus eſt regionis? an Arabica? an Hæbæa? vel forte aliquo bello Punico inter ſpolia Romam eſt allatum, & in triumpho portatum una cum verbis, & nominibus, quæ leguntur & in columna Roſtrata Duilii, & in lapide quinque palmarum, & quatuor pollicum longitudinis, & duorum palmorum, & decem pollicum latitudinis invento anno 1615 prope Portam Capenam continente elogium *Lucii Scipionis*, qui cæpit Corſicam, & Alteriam urbem, atque *Tempeſtatibus ædem dedit?* verum Polybius ſcribit ſuo tempore paucos Romanos repertos, qui poterant legere, & interpretari primum fædus, quod ictum fuerat a Romanis cum Cathaginenſibus ante bella Punica. Nos Sarmatæ facile credimus Scriptoribus narrantibus latinam linguam ijſdem gradibus creviſſe, & decreviſſe, quibus Reſpublica romana. Quod vero hoc verbum in libro meo notavi, non addendo licet, *eſſe latinum*, excuſatum me habere debetis. Nam recito, verba Cenſorini, qui vocem *Genius* a genendo deducit. Sic enim loquitur: *Genius eſt Deus, cuius in tutela. ut quisque natus eſt, vivit. Hic ſive quod unà genitur nobiſcum, ſive etiam quod nos genitos ſuſcipit, ac tuetur, certe Genius, a genendo, appellatur: c. 3 de die natali.*

LOCUS LIBRI.

Pag: 205 Hic igitur communis Judæis, Paganis, Chriſtianis ſenſus de Angelis bonis, & malis non potuit procedere niſi a communi cauſa: effectus enim communis communem cauſam habere

de-

debet. Non poſſumus dicere hanc doctrinam ſumpſiſſe Paganos a Judæis: nam quæ doctrina potuit eſſe magis rationi conſona, quam ea, quam Judæi tenebant, & docebant, de Deo? tamen Pagani longiſſime aberant a cognitione veri Dei. Non ipſi huius ſententiæ auctores fuerunt? nam ea quæ nullo ſenſu percipiuntur, quæque cum rebus ſenſibilibus nec *ſimilitudinem, nec connexionem habent*, etiam menti non occurrunt. Non alia igitur huius ſententiæ cauſa aſſignari poteſt, niſi traditio a primis Parentibus totum per orbem cum deſcendentibus ab illis ſeſe diffundens.

CENSURA.

1. Dum Author dicit Paganos doctrinam de exiſtentia Angelorum non accepiſſe a Judæis, ſed ex traditione: propterea quod longiſſime aberant *a cognitione veri Dei*; tamen Judæos illam habuiſſe, videtur dicere: inter Paganos non extitiſſe traditionem & cognitionem veri Dei. Aſt in hac re ſibi ipſi contradicit: nam ex iis *quæ p. 198 v. a fine 2. pag: 199 v. 8. p. 200 v. 8. p. 201 v. 5. 10. & 21. p: 202 v. 12. p. 204. v. 3. & 15 & infra paginam 207 v. a fine 2 p. 208. v. ult: p. 334. v. a fine 4.* dixerat manifeſtum eſt: eoſdem Paganos, qui fatebantur eſſe Angelos, cognoviſſe etiam exiſtere ſupremum Numen.

RESPONSIO.

En iterum, iterumque *Videtur*, at examinemus albusne, an niger ſit iſte Videtur. In locis citatis refero: *Thaletem, Platonem, Socratem &c. docuiſ-*

ſe

ſe Deum eſſe Ens ſupremum. æternum, immortale: In hoc autem loco aſſero: *Gentiles non cognoviſſe verum Deum*: in quo ſoli vos diſcrepantia videre poteſtis, ego vero minime video. Ille enim ſecum pugnantia loquitur, qui negar, quod affirmavit: atqui in bis locis non nego idem, quod affirmavi.

1. Quia *docere, & cognoſcere* non ſunt idem; & quamvis eſſent idem: tamen.

2. *Cognoſcere Ens ſupremum, & cognoſcere verum Deum*: non ſunt Idem. Et quamvis iterum hoc eſſet idem, tamen adhuc.

3. *Cognoſcere ſimpliciter, & cognoſcere illâ cognitione, qua hic nego Gentiles Deum cognoviſſe, non eſt idem.* Denique demus & hoc eſſe idem.

4 Quia poteſt ſine ulla verborum repugnantia dici. Et *Gentiles cognoviſſe verum Deum, & Gentiles non cognoviſſe verum Deum*. Quod ut ad oculum pateat examinemus ſingulas partes.

1. *Docere aliquam veritatem, & cognoſcere eandem*, non eſt idem: Sic Athei plenis buccis negant *exiſtere Deum*, & nos plenis buccis negamus, dari veros Atheos ignorantes Dei exiſtentiam. Sic ſceptici docebant: *a nullo homine poſſe cognoſci veritatem*. quis tamen ſanus exiſtimabit illos nullam vidiſſe veritatem? Sic Gentiles docebant: dari plures Deos, tamen illos nequaquam cognoſcebant: quis enim poteſt cognoſcere, hoc eſt repreſentare ſibi tanquam ens, quod eſt impoſſibile. Sicut ergo non loquitur pugnantia, qui dicit: Atheos *negare Dei exiſtentiam*. & ſimul affirmat: *eos non ignorare Dei exiſtentiam*: Gentiles *docuiſſe plures Deos dari*, & ſimul

ne-

negat: *eos potuiſſe habere ideam alterius Dei*: ita multominus loquitur pugnantia, qui dicit: *Gentiles docuiſſe Deum eſſe Ens ſupremum &c.* & ſimul negat eos *cognoviſſe verum Deum.* Demus etiam docere & cognoviſſe eſſe idem, tamen.

2. *Cognoſcere Ens ſupremum, & cognoſcere verum Deum non eſt* idem. Quod ut itelligamus, revocemus nobis in memoriam duplicem eſſe Theologorum ſententiam: aliam docentium exiſtentiam Dei *eſſe notam lumine naturæ tam quo ad ſe, quam quo ad nos: aliam*: propugnatium exiſtentiam Dei poſſe quidem demonſtrari a poſteriori, eſſeque illam notam *per ſe,quo ad ſe*,at ſimul negantium notam eſſe lumine naturæ,& quo ad nos. Jlli negant in homine adulto poſſe dari ignorantiam Dei: Hi concedunt, licet non ad longnm tempus. Primam ſententiam ego teneo, & docui cum *S. Thoma, Anſelmo, Damaſceno, Alberto M. Egidio &c.* alteram alii cum Scoto. Quid eſt autem ignorare Dei exiſtentiam? Eſt idem ac nullum habere dubium, ſcrupulum, cogitationem, & ideam Dei, ſive *ut Entis ſupremi*, ſive *ut Vindicis & Remuneratoris, ſive ſub alio quocunque attributo* ſoli Deo conveniente. Quid eſt cognoſcere Deum? eſt cognoſcere aut attributa ſoli Deo convenientia, aut cognoſcere exiſtentiam Entis ſupremi, Vindicis Remuneratoris. Quid eſt cognoſcere verum Deum? *eſt cognoſcere illum cui conveniunt iſta attributa.* Aliud ergo eſt *cognoſcere DEUM, aut ſupremum Numen*, & aliud cognoſcere *verum Deum.* Omnes adulti cognoſcunt exiſtere Deum: quia ignorantia Dei dari non poteſt, at non omnes cognoſcunt *verum Deum.*

la

Nulla gens eſt.inquit Tullius neque tam immanſueta neque tam fera, quæ non, etiamſi ignoret qualem habere Deum deceat, tamen habendum ſciat Lib: 1. de Legibus c. 8. Vide ut gentilis ipſe diſtinguat cognitionem Dei, a cognitione veri Dei. Omnes Gentiles cognovérunt Deum alii clarius, alii obſcurius, alii plura, alii pauciora Divinitatis attributa. Cognovit Deum exiſtere plebs: quia colebat Deos, eos metuebat, ab iiſque ſperabat: potuit etiam cognoſcere *verum Deum*, & ideo colendo idola peccabat. Cognoverunt Philoſophi clarius Deum: quia cognoverunt & plura Divinitatis attributa, & ſimul ſciverunt hæc attributa non poſſe convenire creaturis: tamen non cognoverunt *verum Deum*: quod ſic demonſtro: Jlli non cognoverunt verum Deum, qui attributa Dei applicabant iis, quæ non ſunt Deus, aut tribuebant Deo imperfectiones, quæ ipſi repugnant. Atqui Philoſophi ipſi aut attributa Dei applicabant iis, quæ non ſunt Deus, aut Deo tribuebant imperfectiones, quæ ipſi non conveniunt. Ergo Philoſophi etiam non cognoverunt verum Deum. Declaro id exemplo: Si quis Chriſtianus ſciens in Eccleſia eſſe ſummum Pontificem, qui eſt caput Eccleſiæ, & vicarius Chriſti, crederet hunc eſſe aut Archiepiſcopum Mediolanenſem, aut quod peius, Conſtantinopolitanum, illique exhiberet honorem, & obſequium ſoli ſummo Pontifici debitum, ille licet cognoſceret & ſummum Pontificem, & caput Eccleſiæ, & Vicarium Chriſti, non tamen cognoſceret *verum ſummum Pontificem, verum caput Eccleſiæ, verumque Vicarium Chriſti*: Idem dic de Philoſophis gentilibus. Ridebant il-

illorum aliqui idola, at alium aliquem ſibi fingebant Deum Jovem, vel Baal, vel Aſtaroth, diverſum quidem ab idolo, ſed quem repreſentabat idolum. Hinc S. Paulus loquens de illis non dicit, illos *cognoviſſe Deum verum*, ſed cognoviſſe *Deum*, hoc eſt: cognoviſſe clarius cæteris Divinitatem, pluraque eius attributa: cognoviſſe etiam hæc attributa non poſſe convenire creaturis, tamen non ut *Deum glorificaverunt*, hoc eſt: ſciverunt illud Ens ſupremum ſolum eſſe divinô honore colendum: hunc tamen honorem non ſunt veriti tribuere creaturis, atque ita *evanuerunt in cogitationibus ſuis*, ideam, quam habuerunt Entis ſupremi, ſumme colendi, immortalis tribuerunt Jovi, Baal, &c Proinde cognitio eorum, atque argumenta in fumum abierunt: non ſolum nihil commodi ex illis retulerunt, verum etiam in maiorem prolapſi ſunt inſaniam, & impietatem.

Deinde. Illine cognoverunt verum Deum, qui eum aut corporeum, aut improvidum, aut obnoxium paſſionibus, & imperfectionibus, quæ pugnant cum Divinitate, docuerunt. Atqui nullum reperiemus Philoſophum, qui aliquas imperfectiones non miſcuerit cum idea Entis ſupremi: Ergo nullum reperiemus Philoſophum, qui verum cognoverit DEUM. Quis crederet a me cognoſci verum Pontificem: ſi eum putarem non eſſe hominem, ſed Angelum, aut ſubſtantiam incorpoream? Hinc merito S. Aug: Serm: 241 nov: edit: c. 6. alias de tempore 142. doctrinam Philoſophorum vocat: *magna magnorum deliramenta virorum.* Hinc neque condemnari poteſt Euſebi-

bius aſſerens: *ante Chriſti adventum nullum, præter Iſraelitas, non ſolum verum Deum, ſed ne quidem ſupremum Ens cognoviſſe.* Sicut enim is, qui *hirci* naturæ adiungit naturam *cervi*, eaſque duas naturas putat eſſe unam, licet ſciat exiſtere, & videatur noſſe & hircum, & cervum, tamen revera nec hunc, nec illum cognoſcit: ſic Philoſophi, quia Deum aut fingebant corporeum, improvidum, paſſionibus obnoxium, aut eius naturam, potentiam, imperium, providentiam, plures inter partiebantur Deos, licet ſciebant exiſtere ſupremum Numen, & videbantur illud cognoſcere, & quid eſſet docere, tamen revera non cognoſcebant ſupremum numen, ſed ex idea Entis ſupremi monſtrum aliquod conflabant. Audiamus Senecam Lib:4 de beneficiis c.7 ſic de Deo diſſerentem. *Quoties voles tibi licet aliter hunc auctorem rerum noſtrarum compellare. Tot apellationes eius eſſe poſſunt, quot munera. Hunc & Liberum patrem. & Herculem, & Mercurium noſtri putant... Omnia eiuſdem Dei nomina ſunt varie utentis ſuâ poteſtate.* Jllene cognovit verum Deum, qui ſupremi Numinis actiones, & munera eſſe putavit, quæ tribuebantur Libero, Herculi, Mercurio, qui ſolis infamibus ſceleribus, & vitiis nomen, & divinitatem apud inſanos promeruerunt? Sed concedamus: *ſcire exiſtentiam ſupremi Numinis, illudque cognoſcere, eſſe* idem, ac cognoſcere verum Deum, tamen adhuc convincere non poteſtis me pugnatia ſcripſiſſe.

4 In illo enim loco non nego: *a Gentilibus Deum nullâ ratione* cognitum fuiſſe, ſed ſolum nego fuiſſe cognitum eâ cognitione, quam habe-

 bant

bant Judæi: lege, quæ præmiſi. *Quid erat conformius rationi, iis, quæ Iudæi & credebant & docebant de Deo, tamen Gentiles longiſſime aberant a notitia veri Dei,* ſcilicet tali, qualem ex *commertio*, & libris Judæorum haurire poterant. Quis vero audebit dicere Gentilium, etiam præcipuos Philoſophos, habuiſſe talem notitiam divinitatis, qualem Scriptura ſacra, in qua doctrina Judæorum continebatur, ſubminiſtrabat? Hinc obſerva: non dixiſſe me Gentes abfuiſſe *a cognitione Dei:* ut vertit Interpres, ſed *a notitia Dei:* noſcere enim plus ſignificat, quam cognoſcere: nam ſignificat cognitionem tam claram, ac ſi res oculis uſurparetur: & ſenſuum experimento perciperetur, ut docent Grammatici.

5. Demus inſuper me dixiſſe *aliquos Gentiles cognoviſſe* Deum, & ſimul aſſeruiſſe: *Gentiles non cognoviſſe Deum* eâdem cognitione, tamen adhuc pugnantia me locutum fuiſſe immerito argueretis. Redeamus ad Logicam, ad quam ſæpe provocatis. Juxta eius regulas propoſitio alia eſt *univerſalis Metaphyſicè*, cuius prædicatum, & ſemper, & omnibus in ſubiecto contentis ineſt: ut omnes homines ſunt rationales. Alia eſt *univerſalis moraliter*, cuius prædicatum, ut plurimum, & pluribus in ſubiecto cuntentis, licet non omnibus, ineſt: *ut omnes Europæi ſunt civiles: Omnes fæminæ ſunt indoctæ.* hæ propoſitiones ſunt veræ, licet & inter Europæos ſunt aliqui feri, & inculti, & è fæminis plurimæ doctrinà, & eruditione claruerint. Propoſitio *indefinita in materia neceſſaria* æquivalet *univerſali Phyſice*: ut homo eſt rationalis. Propoſitio

ndefinita in materia contingenti æquivalet univerſali moraliter. Exempla talium propoſitionum infinita ſunt in omnibus libris Philoſophorum, Theologorum, atque in ipſa ſacra Scriptura. Sic: Geneſ: c. 6. Noe dicitur: *inveniſſe gratiam* Et c: 7. *r eſervatus a diluvio*, tamen ibidem Scriptura S. ſine ulla contradictione ſtatim addit: *Omnis caro corruperat viam ſuam* Et: *Finis univerſæ carnis venit coram me.* Pſalm: 13. *Omnes, declinaverunt, ſimul inutiles facti ſunt, non eſt, qui faciat bonum, non eſt uſque ad unum.* Nunquid vero non erant eodem tempore plurimi homines justi? Defeceruntne unquam omnes Dei cultores? an non eodem Pſalmo additur: *Dominus in generatione juſta eſt?* An non bonum faciebat ipſe Pſalmiſta, qui hoc cantico laudes Dei celebrabat? Et Sap: c. 13 *Vani autem ſunt omnes homines, in quibus non ſubeſt ſcientia Dei.* (An non ſunt etiam plerique vani, in quibus eſt ſcientia, & cognitio Dei?) *& de his, quæ videntur bona non potuerunt intelligere eum, qui eſt;* Quid ſi ſimile quid legeretis in libro meo? fuitne nullus hominum, qui non potuerit intelligere eum, qui eſt? *Neque operibus attendentes agnoverunt, quis eſſet artifex.* Nemo juxta Theologos adultus, ad longum ſaltem tempus, poteſt ignorare, ſeu non cognoſcere *Ens ſupremum* ſaltem ſub aliquo attributo: Atqui juxta Scripturam fuerunt, qui cognoſcendo *ſupremum Numen*, non cognoverunt *verum Numen.* Ergo cognoſcere *ſupremum, & verum Numen* non ſunt idem. Hinc licet citatis locis dixiſſem Thaletem, Platonem &c, cognoviſſe Deum, tamen non recte inferres: me

mihimet ipſi contradicere, cum ſimul dico: *Gentiles non cognoviſſe verum Deum.* Hæc enim propoſitio eſt *indefinita, & æquivalet univerſali moraliter*, ſcilicet huic: *Plerique, paſſim, atque maiori ex parte Gentiles non cognoverunt verum Numen.* Niſi forte velis aſſerere, & Scripturam ſacram pugnantia ſecum loqui in citatis hic, & aliis locis, eumque, qui dicit: nullum hominem immunem eſſe a culpa originali, & ſimul excipit B. V. MARIAM.

Propoſitio indefinita plerumque ex circumſtantiis narrationis æquivalet ſolum particulari. Ut hæc propoſitio: *Milites plectentes coronam de ſpinis impoſuerunt*, ſcilicet *aliqui non omnes.* Sic dum dixi: Eccleſia damnat, & damnavit libros, qui editi fuerunt, vel vulgantur ſub nomine Apoſtolorum, licet nihil contineant mali, non æquivalet huic: *Omnes libri, qui damnantur, & ſunt damnati, ideo ſolum damnantur* & damnati ſunt, quia vulgati ſunt ſub nomine Apoſtolorum: nam & notum eſt omnibus aliunde, & hæc ipſa verba: *licet nihil contineant mali*, *oſtendunt*: libros etiam aliam ob cauſam damnari, & damnatos fuiſſe. Dum dicimus: *Morte plectuntur, qui rei ſunt homicidij, licet nullum aliud ſcelus admittant*, quis putabit nos dicere: Omnes, qui morte plectuntur, ideo ſolum plecti, quia rei ſunt homicidii?

Vellem iam ſcire ex qua univerſitate ſit iſte celebris Doctor, qui vocatur *Videtur*, cuique ego in ſingulis lineis pugnantia loqui videor. Sit Theologus, ſit Philoſophus, ſit Romanus, ſit Pariſinus, ſit ex Minerva ipſa, ſit ex Sorbona, illum ego tamen provoco, ut oſtendat hanc diſcrepantiam

ad-

dhibito etiam ſeu Teleſcopio , ſeu microſco-
pio.

Non pugnant ſecum: docere Deum eſſe Ens
upremum, & non cognoſcere Deum verum! Non
pugnant ſecum cognoſcere Ens ſupremum & non
cognoſcere Deum verum: Non pugnant ſecum
cognoſcere Deum verum & non cognoſcere De-
um verum tam clare , & diſtincte , nimi-
rum cognitione cum cultu ejus conjunctâ, ut co-
gnoverunt Judæi. Non pugnant ſecum: aliqui
Gentiles Philoſophi cognoverunt Deum verum, &
Gentiles non cognoverunt verum Deum: Ergo
multo minus pugnant ſecum hæ propoſitiones:
*Thales, Plato, aliique gentiles docuerunt Deum eſſe
Ens ſupremum: & Gentiles non habuerunt notitiam
veri Dei qualem ex commercitio Judæorum habere
potuerunt.* Vertat ergo ſe in omnem partem
inclytus Magiſter *Videtur*, & nulla ex parte videbi-
tur eſſe æquus judex. Deinde: poteſtne recte
Scriptor argui pugnantia ſecum loqui, qui ex oc-
caſione refert doctrinam aliorum, idque alienam
ab argumento ſuo, & deinde profert aliquid con-
trarium illi doctrinæ ex ſuo ſenſu? Atqui ego ex
occaſione ſolum narro, quid ſenſerint, docuerintve
aliqui Gentilium de Deo: Ergo dum dixi: genti-
les non cognoviſſe verum DEUM, non mecum ipſe
pugno, ſed aut cum Thalete, & Platone &c, aut
cum iis qui credunt ab iis cognitum fuiſſe ve-
rum DEUM, aut inquietus Doctor *Videtur* vel
alios ipſe laceſſit, vel vult collidere ſecum amiciſ-
ſimos.

Si quæras: habueruntne Gentiles traditionem
de Deo vero? Vellem prius audire ex te, quid
re-

reſponderes? Ego vero dico: omnes Gentiles & *Lumine naturæ*, & ex traditione cognoviſſe exiſtere Ens ſupremum. Jam vero de Deo vero, ſeu quod nam eſſet iſtud Ens ſupremum, primi Authores Gentilium habuerunt a Noe, eiuſque filiis traditionem, ſed eam ad ſuos poſteros non tranſmiſerunt, imo contrariâ doctrinâ eam penitus extinxerunt.

2. *Nec obſtat cognitioni ſupremi Numinis error in cultu ejuſdem: nam etiam errabant in cultu Angelorum, cum non tantum bonos, ſed etiam malos Angelos ut Deos colerent. Hæ autem contradictiones tolerari non poſſunt in eodem libro.* ℞. Quis eſt iſte tam inſanus, qui aſſeruit errorem in cultu obſtare cognitioni ſupremi Numinis? Nam hâc aſſertione nihil eſt abſurdius. Si enim Gentiles coluerunt Deos, eo ipſo agnoverunt ſupremum Numen; imo nec poterant non cognoſcere: ignorantia enim invincibilis in adultis ſupremi Numinis dari nequit. Alium ergo aliquem, non me petunt iſta tela veſtra. Nam ego in locis citatis a *p.* 198 dico: Gentiles & docuiſſe, & cognoviſſe ſupremum Numen, Pagina *vero* 205 *n.* 76 dico: Gentiles non cognoviſſe verum Deum, ſeu non habuiſſe notitiam veri Dei. Si ergo contra me tela iſta intorquentur dicendum eſſet: *errorem in cultu non obſtare cognitioni veri Dei.* At hoc ipſum, dicitis, inferimus. Si ita eſt. *Primo* quis poteſt tolerare in aliquot lineolis cenſuræ tantam terminorum, & notionum confuſionem? *Secundo*: antequam hoc inferretis, debuiſtis rem examinare, aut poſtquam intuliſtis, debuiſtis probare. Nam ſi quis audaculus erumpat, & dicat:

er-

errorem in cultu obſtare cognitioni veri Dei, atque adeo Jdololatras veros non cognoviſſe verum Deum, quod vallum audaciæ ejus opponeretis? Jlle vero pergeret ſic pugnare.

Non eſt, diceret, hic ſermo de cultu externo, qualem e: g. Chriſtiani metu Tyrannorum exhibuerunt idolis: hic enim cultus non erat *error mentis, ſed vitium voluntatis.* Error ergo, de quo hic agimus, eſt *iudicium, quo quis judicat divinô honore eſſe colendum illum, cui divinus honor non convenit*: Atqui judicium, quo quis judicat divinô honore eſſe colendum tanquam ſupremum Numen illum, cui non convenit honor divinus, excludit cognitionem veri Numinis: Ergo error in cultu ſupremi Numinis excludit cognitionem veri ſupremi Numinis. Quare, quæro, Gentilis, divinô honore colens idolum errat in cultu ſupremi Numinis? An quia non cognoſcit *ſupremum Numen*, ſeu quia ignorat exiſtere illud? Minime: nam quomodo idolo tribueret honorem ſupremi Numinis, ſi non cognoſceret ſupremum Numen? Quare ergo errat? quia idolum putat eſſe ſupremum Numen: putat inquam: quia alias & erraret in cultu ſupremi Numinis, & non erraret: erraret, ut ſupponimus: non erraret, ſi idolum non putaret Numen eſſe! nam hoc non eſt error, ſed verum ipſum. Atqui putans idolum eſſe ſupremum Numen non cognoſcit verum Numen, licet ſciat exiſtere, hoc eſt cognoſcat ſupremum Numen: Ergo errans in cultu ſupremi Numinis non cognoſcit verum Numen, licet cognoſcat ſupremum Numen. Et vero: quis credi poteſt tam inſanus, ut ſerio flectat genua, ſperet, timeatque eum tanquam Deum, quem non judicat eſſe Deum?

2. Error, qui ab idea ſupremi Numinis aufert prædicatum notiſſimnm, & ſoli Deo conveniens, illudque applicat, cui non convenit, obſtat cognitioni veri Numinis: atqui error in cultu ſupremi Numinis applicat prædicatum *ſumme, & unice colendi* cui non convenit. Ergo error in cultu ſupremi Numinis obſtat cognitioni veri Numinis.

3. Bellarminus Lib: 2 c. *13*. de Jmagi: reſpondens ad argumenta Calvini probantis cultum imaginum eſſe ipſiſſimam eam idololatriam, quam Deus Gentilibus, Judæiſque exprobrabat: quia nimirum & Idololatræ non vocabant idola Deos: quia illa colendo Judæi non erant obliti veri Dei: quia in idolis colebant verum, & unum Deum: quia denique idola non habuerunt pro Diis: demonſtrat: omnia hæc, quæ Calvinus obiicit, eſſe mendacia. Atque *primo*: oſtendit ex Scriptura idola ab illis vere Deos vocata. Secundo: Judæos colendo idola oblitos fuiſſe veri Dei: *Deum qui te genuit dereliquiſti, & oblitus es Domini, creatoris tui* Deuter: 32. Obliti ſunt DEUM *qui ſalvavit eos, qui fecit magnalia in Ægypto* Pſalm: 105. Quid vero eſt oblivio? eſt non cognitio, ſeu ignorantia eius, quem antea noveramus: Ergo ſi in Judæis in cultu error non erat coniunctus cum cognitione veri Dei, multo minus in Gentilibus, de quibus dubium eſt an cognoverint aliquando verum Deum. *Tertio*. oſtendendo Judæos non coluiſſe in dolis unum, & verum Deum. ſic loquitur: *Judæi, quia viderant in Ægypto in ſummo honore vitulum, putaverunt ipſum Deum cæli eſſe vitulum illum, & ideo illi imaginem vituli ſtatuerunt.* Qui putaverunt vitulum eſſe ipſum Deum cæli, cognoverunt ne verum Deum? 4to oſtendit idololatras

crediḍiſſe in idolis ipſam reſidere Divinitatem. Hinc Prophetæ maxime laborabant, ut oſtenderent, idola non eſſe Deos: quia non vident, non loquuntur &c. Ex his omnibus ſic arguere poſſet. Tunc error in cultu obſtat cognitioni veri Dei, quando coniungitur cum oblivione veri Dei, & exiſtimatione idola eſſe vera Numina: Atqui cultus idolorum coniunctus fuit, etiam in Judæis, cum his duobus: quanto ergo magis in Gentilibus? Ergo error in cultu obſtat cognitioni veri Dei: Et revera quis credet ab eo cognoſci verum Deum, qui ſerio lapidem vocat Deum, coram illo incurvatur, ab eo opem expectat, eum metuit, in ipſoque ipſiſſimam putat reſidere Divinitatem?

Audiamus Arnobium. Erat is Philoſophus Gentilis, adeoque ipſâ experientia noverat, qualem cognitionem Dei habuerunt Gentiles etiam Philoſophi. Sic ille Lib: 1. contra Gentes loquitur. *Venerabar, o cœcitas! nuper ſimulacra modo ex fornacibus prompta, in incudibus Deos, & ex malleis fabricatos... Tanquam ineſſet vis præſens adulabar, affabar, & beneficia poſcebam... Deos eſſe credebam ligna, lapides, oſſa, aut in huiuſmodi rerum, habitare materia.* Qui hæc de Deo exiſtimavit, habuitne cognitionem veri DEI?

Concludo hanc reſponſionem. Omnes Theologi probant exiſtentiam Dei etiam ex conſenſu omnium nationum judicantium exiſtere ſupremum Numen, & tamen omnes ſimul docent Idolatras, & Gentiles ignoraſſe quodnam eſſet illud ſupremum Numen, ſeu ignoraſſe verum Deum, ſed exiſtimaſſe illud eſſe aut Jovem, aut Baal, aut alium: cur ergo ego ſolus pugnare mecum videor

pro-

propterea, quod dixerim: Gentiles *ſciviſſe dari ſupremum Numen*, ſed non habuiſſe *notitiam veri DEI*, qualem ex commercio cum Judæis habere potuiſſent?

LOCUS LIBRI.

P. 211. & ſeq: a nro: 81. ad 82 dicitur: ſed ſolidiſſimum (ſaltem ſecundum capacitatem noſtram) videtur eſſe ſequens argumentum exiſtentiæ Angelorum) Deus creando hunc mundum non coactus, ſed unicè ex beneplacito voluntatis ſuæ non potuit eum creare non præfixo ſibi aliquo fine: cum ipſa ſapientia non poſſit quidquam cæcô modô, & imprudenter facere. Quiſnam autem ſit finis iſte?... Igitur creare debuit hunc mundum propter gloriam ſuam prout Scriptura ſacra dicit: *Univerſa propter ſemet ipſum operatus eſt Dominus.* Qua autem ratione creaturæ poſſunt ſervire gloriæ Creatoris? Non aliter niſi pulchritudine, & magnificentiâ ſuâ excitando cognitionem, & admirationem in ſubſtantiis rationalibus, & eas attollendo ad cognitionem, & glorificationem Creatoris, ad gratias agendas, ad admirationem pulchritudinis, ſapientiæ, omnipotentiæ, providentiæ, & aliarum perfectionum ejus. Hinc ſequitur: Deum creatô hoc mundô debuiſſe etiam creare ſubſtantias rationales, quæ omnia opera ejus cognoſcerent: alias hæc opera, quæ ignorarent, fruſtra fuiſſent creata. Creavit Deus hominem, ſed num id ſit ſatis ad hunc finem? Eſt is ſubſtantia rationalis; verum quam longe à ſe remota intellectu attingit? Vix aliquot paſſibus à ſe diſtantia. Collocatus eſt in terra, & quaſi

affi-

affixus eidem: hæc autem terra, etſi ſatis ſit in ſe magna, quid eſt comparata univerſo? reſpectu orbitæ, quam ſol peragit, terra minor eſt atomo in aëre volitante: reſpectu autem orbitæ ſtellarum adeo eſt exigua, ut ejus parvitas captum noſtrum ſuperet. Globus è tormento bellico vi ignis accenſi ejectus è loco ſolis, & in ictu oculi 300 paſſus percurrens, non perveniret ad terram niſi elapſo ſpatio annorum 38: a Saturno, elapſis annis 380: à ſtella autem nobis proxima, ſyrius dicta, poſt annos 104. 166. 666. 636. Præterea ſunt aliæ ſtellæ ab illa aut æquali, aut majore ſpatio remotæ, ut illa a terra, prout id colligimus ex via lactea impleta ſtellis viſum noſtrum fugientibus. Hæc Diſtantia conſiderata verſus omnes partes efficit ſpatium immenſum. Interim hoc ſpatium conſitum eſt ſolibus millies mille majoribus, quam terra: Planetis aut majoribus, aut ei æqualibus. Propter quem igitur Deus tot, ut ita dicam, mundos creavit? Non propter ſolum hominem? nam id eſſet idem ac pretioſiſſima, pulcherrimaque ſpectacula exhibere cæcis, pulſare inſtrumenta muſica modo exquiſitiſſimo pro ſurdis, conducere imagines præſtantiſſimorum pictorum ad diſtinendos infantes hodié in lucem editos: Nam homo haſce res terrenas, quibus utitur, quasq; contrectat, manducat, bibit, non cognoſcit quo ad ſubſtantiam, ſed tantum quo ad extimas partes, hoc eſt cognoſcit albedinem, & nigredinem, mollitiem, & duriem, levitatem, & ſcabritiem &c. quid igitur dicendum de ſubſtantiis adeo longinquis? Igitur ſi DEUS nihil *fruſtra facere poteſt*, ſi omnia creavit ad glorioſam ſuam, neceſſe eſt

fa-

fateri: eſſe ſubſtantias rationales homine perfectiores, & DEO propinquiores, quæ naturâ ſuâ hæc opera cognoſcant, & cognoſcendo laudent, & glorificent illorum, & ſui Conditorem. Quod ſi dicas: animas ſeparatas a corpore cogituras hunc mundum: Reſpondeo: imprimis nos neſcire an anima noſtra omnia cognoſcens in corpore dependenter à ſenſibus, ſeparata ab ab illo poterit vi nativâ cognoſcere ſubſtantias materiales; finis vero creationis mundi exigit: ut ſint ſubſtantiæ, quæ naturali lumine pulchritudinem, & magnificentiam, ejus cognoſcant. 2*do* ante adventum Chriſti Domini aliæ animæ damnatæ erant ad infernum, aliæ manebant in limbo; igitur quatuor millibus annorum mundus hic manſiſſet ſine ſpectatoribus, immenſum hoc palatium ſtaret vacuum pro muſcis, & veſpertilionibus: Deus quatuor millibus annorum pulcherrimos ludos in polis cæleſtibus exhiberet cæcis. 3tio poſt adventum Chriſti Domini animæ damnatæ ad infernum ſerviunt ad oſtendam tantum juſtitiam divinam, animæ in cælo exiſtentes non indigent rebus creatis ad cognoſcendum, & laudandum Deum: cum ipſum Deum intueantur, cum ipſi fonti, ex quo fluunt perfectiones creatæ, ſint immerſæ &c.

RESPONSIO.

Videte p. 207 v. 13. ibi legetis hæc verba: *plures Theologi, etiam argumentis a ratione petitis, conantur hanc confirmare veritatem* Deinde expono argumentum S. Thomæ, & aliorum. Quid ergo opus erat tanto molimine conſtruere machinas? non eſt mea arx, quam oppugna-

tis.

tis. Forte ignoratis, quis eſt architectus, & parens tanti monſtri? Nihil non mihi licere puto, ſi jubetis. Prodam itaq; ſceleſtus iſte eſt *Eſparſa Societatis Jeſu*, cujus opera quarto edita ad manum habeo, impreſſa Romæ cum facultate tum A. R. P. Oliva, tum A. R. P. Nickel, & aliorum urbis cenſorum. Ergo extruite rogos, comportate volumina, admovete flammas, liberate orbem hâc peſte: imo expectate paululum: infecit ille plures: Amortum, imo & Turnelium, pluresque alios. Ergo ne vobis laborem purgandi orbem augeatis, etiam hos pyræ injicite, ne ut ipſi infecti erant, ſic inficiant alios. Quid hæretis? forte metuitis, ne magnum excitetur incendium? at credite mihi, etiam apud nos ignis eſt calidus, etiam urit, & comburit: imo forte ſub gelido cælo propter antiperiſtaſim eſt nequior, & inſolentior? An forte integerrima veſtra æquitas metuit inauditos condemnare? Jam illi pro ſe loqui non poſſunt: legite ergo Eſparſæ queſtio: 1. de exiſtentia Angelorum Artic: 17 mihi pag: 25 editionis Romanæ in 8vo. legite quoque Amort de natura Angel. mihi p. 2. Legite & alios plures Recentiores. Quod ſi id piget, ſaltem me pro illis pauca deprecantem audire non dedignamini.

Cenſura. imo *Hôc ſolidiſſimo Argumentô videtur Author.* ℞. Iſtud *Videtur* efficiet profecto, ut nihil videam: ſic mihi auget laborem, & legendi, & ſcribendi. Licet vero, Author iſte qui vocat *Videtur*, ſit antiquiſſimus, maximeque claſſicus, non eſt tamen æquum omnia ex ipſius ſenſu definire, *in multis enim offendimus omnes.* Conſulenda eſt quoque ratio, & probatiſſimi alii Scriptores.

Ve-

Verum haud eſt cur offendatur iſtis verbis: neque enim hoc argumentum voco cum Eſparſa *ſolidiſſimum* abſolutè, ſed tum comparate ad duo priora, tum comparate ad noſtrum captum. Non eſſe tamen infirmum vel vos ipſi probaſtis: cum omnibus machinis, quibus illud adorti eſtis nullam in eo ruinam, aut labem feciſtis.

2. *Videtur auctor imprimis ſibi contradicere nam p. 205 & 206. dixerat Angelos nullam habere connexionem cum rebus viſibilibus: hoc autem loco dicit eos habere connexionem neceſſariam. ita, ut creatô hôc mundô debuerint etiam Angeli creari* ℞. Numquid non rectè monui non eſſe ſemper fidendum Auctori, qui vocatur *Videtur:* nam malus Judex eſt, qui non diſtingvit inter ea, quæ author ex ſuo, & quæ ex alieno promit. Hoc argumentum dixi eſſe Eſparſæ, & aliorum: Ergo non author ſibi, ſed aut Eſparſæ, aliiſque contradicit, aut Eſparſa, aliique, Authori: duplex enim eſt ſententia Theologorum: alij negant; poſſe ratione naturali demonſtrari exiſtentiam Angelorum alii, concedunt. Quorum ego ſententiam complector, non erat hic neceſſe exponere. Neque abſolute dico: conditô mundô debuiſſe condi Angelos, ſed debuiſſe produci *ſubſtantias rationales perfectiores homine, imperfectiores Deo*, quæ poſſunt dari in infinitum diverſæ ab Angelis. *Lege verſus duos ultimos p. 214. & quatuor priores p. 215* Si dicas ergo fruſtra adfers hoc argumentum ad probandam exiſtentiam Angelorum: Reſpondeo: memineris ſemper non eſſe meum: adduco autem illud 1. Ut alii Lectores diſcant, quid viri docti

hoc

hoc de argumento ſcripſerint, alij, qui omnia ad rationis examen revocant, convincantur 2. Ut lucem adferat argumentis ex Scriptura, quæ ideo præmiſi. Sic enim quiſque Lectorum raciocinabitur: *DEUS conditô hôc mundô debuit creare ſubſtantias perfectiores vi cognoſcendi præditas quam homo. Ergo cum Scriptura teſtetur exiſtere Angelos, nihil aſſerit, niſi quod ratio ipſa dictat eſſe conveniens, aut neceſſarium* Hæc ergo eſt ratio, cur Eſparſæ, & aliorum adduxi argumentum. Quoniam vero alienum partum mihi pro authoritate obtruditis, adopto illum, negoque pleno ore me loqui diſcrepantia. At, inquis, dixiſti *Angelos nullam habere connexionem cum rebus viſibilibus:* ita eſt dixi, nec inficior. Ibi enim demonſtrabam Gentiles non potuiſſe neque fingere ſibi, neque cognoſcere exiſtentiam Angelorum: quare? quia nullam Angeli cum rebus viſibilibus habent connexionem. Qualem porro Connexionem? Scilicet neque *ſimilitudinis*, neque *connexionem metaphyſicam*, aut *phyſicam*, qualem habet connexionem exiſtentia Entium contingentium cum Ente neceſſario, neque connexionem *abſolutam, & independentem ab omni ſuppoſitione,* & per conſequens non habere talem connexionem, ex qua gentiles poſſent inferre exiſtere alia entia rationalia præter homines. Hic autem oſtendo : Angelos habere connexionem, ut vocat Eſparſá, *cauſalitatis finalis*, ſeu clarius, *connexionem dependentem á triplici ſuppoſitione* 1. Quod omnia Opera Deï ſint perfecta. Deuter: 32. 2. Quod univerſa propter ſemet ipſum operatus ſit Dominus *Prov. 16.* ſcilicet ut ex omnibus

cre-

creaturis & ſeorſim, & collective ſumptis cognoſcatur, & ametur 3 Quod hoc univerſum condiderit tantæ amplitudinis, quantæ amplitudinis illud nunc eſſe conſtat ex obſervationibus Aſtronomicis. Quæ omnia gentilibus non erant ita, ut nobis ſunt nota. Jam vero non habere connexionem *cauſalitatis Phyſicæ*, & habere *connexionem cauſalitatis finalis*, & *intentionalis*, ut loquitur Eſparſa: Item non habere connexionem ex ſe *abſolute, & independenter ab omni ſuppoſitione neceſſariam*, & habere connexionem *neceſſariam dependenter ab aliqua ſuppoſitione*, non ſunt pugnantia: ſic materia nullam habet connexionem cum Ente pure ſpirituali, quod ſi materia hæc fiat apta functionibus, & operationibus exercendis entis ſpiritualis, hæc eadem materia habet cum illo connexionem ita, ut quoties adeſt corpus ad functiones animæ aptum, DEUS, ut auctor naturæ, neceſſario debeat producere animam, illiq; corpori conjungere: ſic terra noſtra non habet ex ſe connexionem cum homine: cur enim non potuerat condi deſtituta habitatore, quemadmodum juxta pleroſque luna, Mars, Jupiter aliique planetæ? ſuppoſito autem quod condita ſit apta ad habitationem entis compoſiti ex materia & ſpiritu, neceſſariam habet connexionem cum homine.

3. *Deinde hoc argumento eodem videtur auctor valde multum probare, nempe: creatô hôc Mundo non congruum, neque conveniens tantum* (*quod veriſſimum eſt*) *ſed neceſſarium fuiſſe, ut crearentur Angeli* (*quod omnino falſum*) *ne ſcilicet fruſtra creatus*

eſſet

eſſet Mundus. ℞. O! quantæ me, temeritatis condemnaretis, ſi propter ſolum *videtur*, opiniones ſummorum Theologorum falſitatis arguerem, idque vix non per omnes Deos Deaſque jurando (*omnino falſum:*) Atqui id *omnino* facitis: nam arguitis falſitatis S. Thomam, & alios. Nam 1. S. Thoma quæſt. 50 art 1 ſum: *An Angelus ſit incorporeus* ſic dicit: *Reſpondeo dicendum: quod neceſſe eſt ponere aliquas creaturas incorporeas:* deinde adducit argumentum, quod primo loco poſui: poſtremo ſic concludit: *Unde neceſſe eſt ponere ad hoc quod univerſum ſit perfectum, quod ſit aliqua ſubſtantia incorporea.* Cur, quæſo, idem modus loquendi non offendit vos in argumento ſecundo loco a me adducto, nam ibidem etiam dico: neceſſarium fuiſſe, ut Angeli crearentur? quia nimirum legiſtis argumentum illud eſſe S. Thomæ. Verum ſi licuit S. Thomæ neceſſitatem creationis Angelorum inferre ex perfectione *operantis, & operis*, cur aliis non licet inferre eandem neceſſitatem *ex fine creationis?* 2 Thyrſus Gonzalez, Ruez, Maurus, & alii docent: DEUM neceſſario facere, quod eſt conveniens; ſed juxta vos, & omnes, coveniens erat creari Angelos: Ergo juxta illos etiam erat neceſſarium: Ergo juditio veſtro illi *omnino falſum dicunt* 3. Eſparſa Articul: 17. Quæſt: I. de Ang: *Supereſt, ut Oſtendatur, exiſtentiam Angelorum eſſe neceſſariam ex natura rei ad perfectionem univerſi juxta ſingulas ex tribus notionibus perfecti, quæ præmiſſæ ſunt, idem docet Amort, & alii.* Quemadmodum igitur licet liberum erat DEO creare, vel non creare mundum, ſuppoſito tamen quod voluerit creare,

debuit illum producere *perfectum formaliter:* ſcilicet liberum Deo erat creare, vel non creare ſubſtantias incorporeas, ſed poſtquam creavit mundum hôc fine, ut omnia in ipſo cauſarent cognitionem, & amorem Creatoris: neceſſarium fuit, ut conderet ſubſtantias incorporeas: quia alias illa vis excirandi ad cognitionem Creatoris maneret inutilis: cum hominem non omnia cognoſcentem non excitet ad hanc cognitionem,

4. *Aſt creato homine rationali non fruſtra eſſet creatus hic mundus, etiam ſi non eſſent creati Angeli* ✱. Vicem vobis reddit Eſparſa, dicitque: *hoc omnino falſum: quia omnino perperam exiſteret mundus, ſi in eo non darentur ſubſtantiæ pure intellectuales, atque omnino incorporeæ. Quia non datis ſubſtantiis ejusmodi, non poſſet reduci in actum ſecundum, ac proinde exiſteret perperam vis motiva, quæ ineſt reliquis creaturis ad cognitionem comprehenſivam tum uniuscujusque ex illis ſeorſim, tum omnium collective, atque ordinis mutui, & pulchritudinis ex omnium proportione, & iuſta correſpondentia conſurgentis, cum virtute inducendi æqualem ei cognitioni delectationem. Quapropter ſi DEUS condidiſſet univerſum non inductis in ipſum ſubſtantiis incorporeis, ac pure intellectualibus perinde feciſſet, atque ſi pictor exponeret picturam artis eximiæ ſolis cœcis, ac muſicus delicatiſſimi concentus chorum ſolis exhiberet ſurdts &c.* Legite totum Artic; 17 & 18 clarius ſic expono: DEUS & in intima ſtructura, vi, & energia cujuſvis ſubſtantiæ, & in numero, ordine, connexione omnium harum ſubſtantiarum impreſſit imagines ſuorum

rum Attributorum, quæ poſſent excitare ſubſtantias rationales ad cognitionem, & amorem Dei: atqui homo neque intimam ſtructuram, vim, & energiam vel unius ſubſtantiæ circa ſe poſitæ cognoſcit, multo minus numerum, ordinem connexionem, pulchritudinem omnium ſubſtantiarum: Ergo ſi non darentur ſubſtantiæ rationales incorporeæ perfectiores homine hæ imagines manerent inutiles, expoſitæ cæcis, & concentus univerſi ad ſolos ſurdos oblectandos ſerviret: quod eſt tam abſurdum, ac dicere, ſapientiam ipſam feciſſe aliquid improvide, aut non poſſe aſſequi finem, quem intendit:

5 *Etenim imo homines ex cognitione creaturarum poſſunt cognoſcere Creatorem, ad eumque laudandum, & glorificandum excitari*, ℞. 1, cum E-ſparſa, poſſunt cognoſcere Creatorem, & laudare *cognitione & laude reſpondente, & ſingularum, & omnium creaturarum collective vi excitanti ad cognitionem, & laudem* N. *Non reſpondente* C. Nec ſingularum creaturarum artificium, nec omnium ſimul ordinem, & harmoniam cognoſcit homo: ergo neque cognoſcit DEUM cognitione illis reſpondente, neque laudat laude illis reſpondente, ℞. 2. homines poſſunt cognoſcere DEUM ex cognitione *omnium creaturum* N. *aliquarum. Subdi: cognitione tam perfecta qualem illæ cauſar e poſſunt* N. *non tam perfectá* C. Non ſolum non omnes cognoſcit homo creaturas, ſed etiam earum, quibus utitur, non cognoſcit niſi imperfecte, & obſcure artificium, & tamen poteſt cognoſci, & cognitum excitare ad magis laudandum DEUM: Ergo illud ar-

tificium inutile eſſet, ſi non excitaret alias creaturas perfectiores homine ad DEUM laudandum.

6 2do *ut homines ex cognitione creaturarum excitentur ad laudandum Deum, & glorificandum non eſt neceſſe, ut ſinguli omnes creaturas cognoſcant. Sed ſufficit quod aliqui has, alii alias cognoſcant.* Atqui neque illi aliqui, neque illi alii cognoſcunt aut omnes creaturas, aut vel unius perfecte artificium.

7. 3tio *ad eundem finem non requiritur clara, & perfecta cognitio creaturarum, ſed ſufficit etiam obſcura, & imperfecta: ex hoc enim homo inferre poteſt: ſi opera DEI meum ſuperant captum, quanto magis earum Creator? magnus igitur DEUS eſt, & laudabilis nimis, & magnitudini eius non eſt finis.* ℞. 1. An putamus DEUM ab omnibus ita laudari velle, ut laudatur à vetulis in hoſpitalibus? Nunquid ab initio mundi non dicebant homines: DEUS eſt juſtus, miſericors &c. cur ergo DEUS per incarnationem voluit nobis magis hæc maniſeſtare attributa? ſi DEUS vel unicam muſcam nobiſcum creaſſet adhuc debuiſſemus dicere: Magnus Dominus, &c. cur ergo tam varia, tamque multa condidit? cur jubet, ut meditemur in omnibus operibus ejus? cur inviſibilia DEI, per ea, quæ facta ſunt intellecta conſpiciuntur? ℞ 2do obſcura, & imperfecta cognitio ſufficit ad laudandum DEUM *eâ laude, qualem DEUS exigit ab homine* C. ſufficit *fini à DEO intento* N. homo cognoſcendo ex creaturis,

&

& laudando quantum poteſt Deum, ſatisfacit fini, & obligationi ſuæ, ſed non propterea ſatisfacit fini a Deo inteuto: DEUS enim omnia condidit ad hoc, ut excitarent ad cognoſcendum DEUM, & ipſum laudandum ſubſtantias intellectu præditas, atqui non omnia excitant hominem ad cognoſcendum & laudandum DEUM, neque enim eum excitant artificium, vis, & energia, cujuslibet ſeorſim creaturæ, neque numerus, & ordo, & varietas omnium: nam homo hæc non cognoſcit: Ergo debent excitare alias creaturas, quæ hæc cognoſcant.

8 *Prœterea ipſe author ſuum argumentum videtur convellere.* ℞. En iterum *Videtur* ut cæcus in via. Verum non prohibeamus eum clamare, & pergamus. *Dicit enim 1. hominem vix aliquot paſſibus à ſe diſtantia cognoſcere; adeoque creare mundum propter hominem, idem eſſet, ac præſtantiſſimas imagines recens natis infantibus, ſpectacula cæcis exhibere, ludere ſurdis. Aſt ſimul eodem loco p. 213 deſcribit magnitudinem, & diſtantiam cælorum. Hœc magnitudo, & diſtantia vel eſt nota, vel ignota authori? ſi ignota: quâ ratione eam adſtruit tanquam certam: ſi nota? quomodo verum eſt hominem vix aliquot paſſibus a ſe diſtantia cognoſcere?* ℞. Magno bono accidit Eſparſæ, quod hoc dilemma nec caput, nec cornua habeat: alias & illum, & nos omnes confodiſſet, ita validâ manû intorquetur. Simile memini a ſcepticis proponi: vel noſti veritatem, vel non noſti? ſi noſti: cur eam quæris? ſi non noſti quomodo eam cognoſces? Bona hæc ſunt ad exercendos Logicæ ſtudioſos, ſed

hic

hic viris, idque Theologis, ſcilicet Eſparſæ, aliiſq; objectare memento. Ego Theologis Theologicum repono, licet æquè infirmum, ac veſtrum: vel nota eſt tibi exiſtentia DEI, vel non eſt nota? ſi non eſt nota: quomodo ergo dicis Deum exiſtere? Si eſt nota, ergo etiam nota eſt tibi eius eſſentia: cum exiſtentia DEI ſit idem cum eſſentia. Quomodo hunc nodum ſolvebatis? Puto non fuiſſe vobis opus quærere gladium Alexandri. Itaque & ego, licet Davus ſim, non Oedipus, quidquid volueritis reſpondebo, & ubique oſtendam male vos ratiocinari. Vultis, ut reſpondeam: notam eſſe mihi illam diſtantiâm? affirmo. Quomodo ergo, dicitis, verum erit hominem vix aliquot paſſibus à ſe diſtantia cognoſcere? Non ſolum verum, ſed omnino verum. Si quis Romanus lectis in tabula itineraria diſtantiis præcipuarum urbium Europæ quereretur, quod nihil, præter Romam viderit, & cognoverit, leniretiſne illius deſiderium videndi, & peragrandi Europam hoc argumento? Vel nota eſt tibi diſtantia Romæ a præcipuis urbibus, ſcilicet Pariſiis, Viennâ, Londino, vel non eſt nota: Si eſt nota; quomodo ergo verum eſt quod dicis te ſolam Urbem Romanam noſſe? Si non eſt nota, quomodo eam tanquam certam adſtruis? O quantam ille vobis referret gratiam pro hoc ſolatio: Appagete, diceret, cum hiſce næniis, canite eas mortuis. An qui novit diſtantiam unius loci ab alio, novit etiam & illa ipſa loca, & alia, quæ ſunt in eorum intervallo ſita? Concedamus nobis notam eſſe diſtantiam, & magnitudinem cælorum: num eo ipſo nota ſunt omnia, quæ ſunt ſita in illo intervallo, & ſpatio immenſo?

Am-

Ambit nos àër, quis vero cognoſcit, quibus particul s conſtet, quam rotundis, quam duris, quæ ſit ejus elaſticitas, gravitas, expanſio, fluiditas, &c.? Quid dicam de vaporibus, exhalationibus, fulminibus, grandine? quid de animalculis in àëre volitantibus, quæ ita magnitudine ſuperantur a gutta ſangvinis, ſicut granum arenæ a monte Orbis maximo, ut demonſtravit Keill? Quid de materia ætherea, quæ omnia pervadit, & omnium fugit cognitionem? quid de coloribus, ſaporibus, &c. quid de ſtructura ſeminum, plantarum, corporis humani, lapidum, metallorum &c? ſi vobis hæc nota ſunt, cur iſtam ſcientiam orbi invidetis? nobis Sarmatis omnia iſta cæcâ nocte tecta ſunt.

Vultis jam, ut dicam: diſtantiam iſtam eſſe mihi ignotam? nec hoc vereor affirmare. Si affirmas ignotam, cur ergo eam adſtruis? Et pueri numerant biliones, triliones, &c. eoſque naſci ex ductu certorum in ſe numerorum oſtendunt: quære vero ex illis, num cognoſcunt quid ſit trilio? imo nec nos ipſi, qui in ſtudio literarum conſenuimus, dicemus quid ſit. Idem ego dico de diſtantia cælorum: & ne iterum videar pugnantia loqui revocate in memoriam ex Logica *ideas alias eſſe claras, obſcuras, adæquatas, in adæquatas, completas, & in compleas.* Tum deinde cogitate quid reſponderetis, ſi quis ex vobis ſic quæreret: DEUM eſſe dicitis bonum: reſpondete igitur: vel eſt bonus hâc bonitate, quam concipitis, vel eſt bonus aliâ bonitate, quam non concipitis. Si dicitis DEUM eſſe bonum bonitate, quam concipitis blaſphematis: Dei enim bonitas eſt incompre-

pre-

prehenſibilis. Si non eſt bonus eâ bonitate quam concipitis, ergo non eſt nota vobis DEI bonitas: quomodo ergo audetis dicere DEUM eſſe bonum? Reſponderetis profecto: notam vobis eſſe DEI bonitatem: quia illam infertis & ex eſſentia DEI neceſſaria, & ex effectibus; non eſſe vero notam: quia nec concipit perfecte, & adæquate, nec comprehendit intellectus finitus id, quod eſt infinitum. Idem ego quoque reſpondeo: eſt mihi nota diſtantia cælorum: quia eam infero ex obſervationibus Aſtronomicis, non eſt vero nota: quia illius ideam neque claram, neque diſtinctam, neque adæquatam habeo. Deinde, & ſi nota eſſet diſtantia Syrij a terra, tamen hæc Syrii diſtantia forte ita ſe habet ad diſtantiam ipſius ab extremitate mundi ſicut pes unus ad diſtantiam Syrij a terra: quam ergo male infertis; ſi tibi nota eſt diſtantia Syrii a terra, ergo nota eſt & magnitudo univerſi. Videte ergo quam male judicaverit Judex ille, qui vocatur *Videtur*: ſive dixero: *notam mihi eſſe hanc diſtantiam*, male infert: ergo non eſt verum hominem ſolum vix paſſibus aliquot a ſe diſſita cognoſcere. Sive dixero: *ignotam eſſe*: male quærit, cur illam ergo adſtruam: Ergo male quoque infert auctorem ſe ipſum convellere.

9.2 *Animas in cœlo exiſtentes non indigere rebus creatis ad cognoſcendum, & laudandum DEUM: quia ipſum vident intuitive. Atqui etiam boni angeli intuentur ipſum DEUM, mali antem Angeli non moventur ex cognitione operum DEI ad laudandum, & glorificandum Deum: Ergo Angeli non indigent rebus creatis ad cognoſcendum, &*

lau-

laudandum DEUM; ac proin vel fruſtra DEUS tam multa, tam magnifica, tam admiranda creavit, vel ſi id dicere nefas, ex creatione harum rerum non poteſt inferri neceſſaria creatio Angelorum. Quod ſi dicatur: Angelos quamdiu fuerunt in via cognoviſſe opera Dei, quæ cognitio potuit eos movere, imo bonos movit &c. ℞. Animæ in cælo exiſtentes vident in DEO res creatas *cognitione ſupernaturali*, & ſimul poſſunt videre etiam *cognitione naturali* res creatas in ſeipſis *Trans.* vident in DEO cognitione ſolum ſupernaturali C. ſed Angeli etiam vident in DEO res creatas *cognitione* tam *naturali*, quam *ſupernaturali* N. ſolum *ſupernaturali.* C. Juxta Eſparſam, qui erat Peripateticus, juxta quos anima ex idolo materiali format prius idolum ſpirituale, & ſic cognoſcit objecta corporea, juxta Eſparſam inquam, cujus refero argumentum, animæ ſeparatæ non habent opus rebus creatis corporeis ad DEUM laudandum: quia eas cognoſcere vi nativâ non poſſunt: nec habent opus lumine ſupernaturali ad illas cognoſcendas: quia jam illas vident in DEO, Angeli vero vident in DEO res creatas *cognitione ſupernaturali*, & ſimul habent *facultatem naturalem* eas cognoſcendi in ſe ipſis. Ne ergo iſta facultas maneat otioſa, indigent rebus creatis ad cognoſcendum hâc facultate naturali corporeas creaturas in ſe ipſis. Hinc vulgo Theologi in Angelis duplicem cognitionem diſtinguunt *Matutinam, & Veſpertinam*, quas tamen vulgo in animabus ſeparatis non admittunt.

LO-

LOCUS LIBRI.

Pag: 225 v. 15 Chriſtus Dominus conſolatur Apoſtolos promittens fore ut ſpiritus eis obediant Luc 4.

CENSURA

Id loco citato, imo in toto Evangelio non reperitur. Lucæ vero 10. v. 20 ſic habetur: verum tamen de hoc nolite gaudere, quia ſpiritus vobis ſubiiciuntur: gaudete autem, quod nomina veſtra ſcripta ſint in cælis. Idem textus citatus eſt p. 45 in annot v a fine ſeptimo.

RESPONSIO.

Non habetur quidem in toto Evangelio, ſed Math: c. 10. v. 1. *dedit illis poteſtatem ſpirituum immundorum, ut ejicerent eos.* Et Marci c. 6 v. 7. *dabat illis poteſtatem ſpirituum immundorum.* Et certe Lucæ c. 9. magnum dat ſolatium, qui dat poteſtatem eijciendi ejuſmodi dæmonia. Et loco Lucæ 4, debuit poni C. 10. ut in annotationibus. Neque tamen putetis hôc modô loquendi: *ſolatur diſcipulos ſuos, quod ſpiritus illis ſubiicientur,* me a literali ſenſu Evangelii receſſiſſe, legamus illud. Lucæ 10. *Reverſi ſunt autem ſeptuaginta duo cum gaudio dicentes: Domine, etiam dæmonia ſubiciuntur nobis.* Quid ad hæc Jeſus? num gaudium illorum reprehendit? minimê: imo auget illud oſtendens Dæmonis imperium, quod illi miraculis labefactare cæperunt, proximum eſſe exitio. Hinc ait illis: *Videbam Sathanam ſicut fulgur de cælo cadentem,* ideſt juxta S, Greg: Nazian: Cyrill. apud D: Thom. Euthym: Theophyl: Mald. &c. Cum vos ad annuntiandum pauperibus Evangelium mitterem, Satanam videbam è ſolio ruen-

ten-

tem, cadensque illius imperium intuebat. quid deinde Chriſtus addit? *Ecce dedi* (in Græco do) *vobis poteſtatem calcandi ſupra ſerpentes, & ſcorpiones, & ſuper omnem virtutem inimici: nihil vobis nocebit.* Ex quo ſic arguo: ille ſolatur Apoſtolos promiſſione, quod ſpiritus illis ſubijcientur, qui gaudentibus de poteſtate ſibi data, & extollentibus efficiam ejus in Dæmones, & prædicit imperium eorum ruiturum, & ſimul vel novam dat, vel datam confirmat poteſtatem ſubjciendi dæmonia. Atqui Chriſtus narrantibus Apoſtolis cum gaudio, quod ſpiritus illis ſubjciantur, & prædixit imperium dæmonum ruiturum, & ſimul vel novam dedit, vel datam confirmavit poteſtatem ſubjciendi dæmonia: Ergo Chriſtus vere ſolatur diſcipulos promiſſione, quod illis ſpiritus ſubjcientur. Quod autem addit Chriſtus: *Verumtamen in hoc nolite gaudere, quia ſpiritus vobis ſubijciuntur, gaudete autem, quod nomina veſtra ſcripta ſunt in cœlis.* His verbis non prohibet gaudere de hac poteſtate: quis enim de donis Dei non gaudeat? Ipſe Chriſtus in Joanne Bapt, & Apoſtolis gaudium habuit, Joan: c. 3. v. 29. & 15 v. 11. Sed monet ſolum, multo magis gaudendum eſſe, quod nomina eorum ſcripta ſint in cælis. Ne ergo vobis augeretis laborem percurrendi concordantias debuiſtis aut legere caput 10. S. Lucæ integrum, aut revocare in memoriam id, quod Scriptura dicit: *litera occidit, ſpiritus vivificat.* Dum itaque citatur verbum DEI non tam ad verba, quam ad ſenſum eſt attendendum, eſtque hoc frequentiſſimum SS. Patribus, Theologis, Concionatoribus.

LOCUS LIBRI

Pag: 227 v. à fine 8. Corpus ita confert ad hunc finem (nempe ad cognoſcendum DEUM) ut tenebræ ad videndum.

RESPONSIO

Permittite, ut antequam reſpondeam, prius vobis revocem in memoriam aliquas corporis, & animæ, commertiique inter illa notiones ex Philoſophia, ex quibus male intellectis, ut omnes hæreſes, ſic cenſura huius loci nata eſt.

1. Peripaterici docebant materiam poſſe cogitare: hinc ab illis animæ brutorum materiales vi cogitandi præditæ eſſe docebantur. Hanc opinionem iam ex omnibus univerſitatibus pulſam ſiquis poſtliminio in Scholas vellet recipere, magnam ille profecto iniret gratiam apud Spinoſam, alioſque materialiſtas, at multum officeret Religioni: *vide eos qui contra Spinoſam, & Deiſtas ſcripſerunt.*

2 Materiam, ſeu corpus eſſe ita fere oppoſitum vi cogitandi, & cogitationi, ut tenebræ luci: nam v.g, inertia, quæ eſt proprietas corporis, eſt *impotentia ſe ipſum movendi, & potentia conſervandi ſtatum ſuum*: vis *cogitandi eſt potentia ſeipſam movendi, & convertendi ſe ad obiectum.* Hinc nec DEUS poteſt facere. ut corpus cogitet: alias enim & eſſet iners. ſcilicet impotens ſe movere, quia eſt corpus: & non eſſet iners: quia vi cogitandi, ſeu potentia ſe movendi eſſet præditum. Idem dic de ſoliditate, & diviſibilitate materiæ.

3 Proinde Corpus magis opponitur cogitationi quam tenebræ viſioni: tenebræ enim viſioni ſolum opponuntur *mediatè, & valde remotè*: quia nimirum ſunt privatio lucis, non viſionis: corpus autẽ, & inertia opponuntur *immediatè vi cogitandi*: corpus nunquam poteſt cogitare, tenebræ non excludunt ex eodem ſubjecto viſionem: nam ſaltem per miraculum poteſt fieri viſio in tenebris: imo a dormientibus defacto clauſis oculis videntur objecta.

4 Hinc ſequitur corpus etiam unitum ſubſtantiæ cogitanti vg. animæ, non ſolum *minus conferre ad cogitationem, quam tenebræ ad viſionem*, ſed etiam *poſitive impedire cogitationem ejus*: Nam impedit, ne obiectum & præſens ſiſtatur, & in ſeipſo ab anima cognoſcatur.

5 Quod autem anima in corpore exiſtens cognoſcat, non fit inde: quia corpus vel confert ad cognitionem aliquid, vel non impediat ex natura ſua cognitionem ejus, ſed quod *impreſſiones in organis ſenſuum vicem ſubeant obiecti*, ſeu admonent animam de obiecto ſenſibus externis admoto, cujus tamen obiecti anima non cognoſcit niſi ſolas affectiones, ſeu modificationes, ſcilicet: *ſaporem, odorem, colorem, duritiem*, aut ſi eſt obiectum immateriale cognoſcit ſolum illud ſub imagine, ſeu abſtractive. Quod ſi non eſſet in corpore, neque abeo impediretur, cognoſceret ipſam ſubſtantiam obiectorum ſuæ cognitioni proportionatorum: plus dico: anima in corpore exiſtens, ita impeditur a cognitione, ut ne ſe ipſam quidem perfectè cognoſcat: hinc tot tamque variè atque abſurdæ de natura animæ opiniones extitêre.

6 Unde vero impreſſiones habent illam efficaciam, & vim ſiſtendi objectum præſens? non ex natura ſua: hæ enim impreſſiones nihil aliud ſunt, quam *motus fibrillarum nervearum, & ſpirituum animalium*, quæ agere & inffluere in animam Phyſice non poſſunt: non ex natura ipſius corporis? nam oſtendi corpus pugnare cum cogitatione: habent ergo vim hanc impreſſiones *ex decreto, & voluntate DEI* eâ lege unientis animam corpori, ut anima *Phyſice agat* in corpus illud movendo ope ſpirituum animalium, & corpus per impreſſiones, ſeu motus in ſenſibus excitatos ſit occaſio perceptionum, & ſenſationum animæ.

7 Hinc ſequitur hoc modo tenebras etiam poſſe ſervire ad viſionem: nam DEUS poteſt conſtituere legem, ut ex occaſione tenebrarum fiant fibrillarum nervearum in oculo motus, quales lux excitare ſolet, & per eos ipſam etiam viſionem. Hæc pauca ſufficiant, *Legite modernos Philoſophos de commertio animæ & corporis.*

CENSURA ET RESPONSIO.

1 *Cum tenebræ impediant viſionem* ℟. En primus Error ex male intellectis notionibus. nihil non poteſt dici impedire etiam illud, cuius eſt nihil: nemo enim dicit: nihil Antichriſti impedire exiſtentiam Antichriſti: atqui tenebræ ſunt nihil lucis tantum, & non viſionis: quomodo ergo poſſunt dici proprie impedire viſionem? etſi vero concedamus poſſe dici tenebras impedire lucem, tamen non poſſunt dici impedire *ſimpliciter & eſſentialiter viſionem*: nam ita viſio poteſt fieri ſine luce, quemadmodum *ſaporis, duritiæ, coloris panis*

ſen-

ſenſus fit in hoſtia conſecrata ſine *ſapore*, *duritie*, & colore panis, ut docent moderni Philoſophi.

2 *Ut niſi lux aliqua adſit res prorſus videri non poſſit* : ℞ En error ſecundus. Toties poteſt adeſſe viſio, quoties poteſt fieri in nervo optico motus ſimilis ejus, quem lux excitat : atqui hic motus poteſt fieri ſine luce: ut motus fibrillarum in manu, qualem excitat durities, mollities &c. panis, fit ſine duritie &c: panis in Euchariſtia : ergo falſum eſt non poſſe prorſus fieri viſionem niſi lux aliqua defacto adſit : imo dormientes, febre malignâ laborantes, in extaſim rapti vident objecta abſentia ſine actione lucis.

3 *Sequitur: ſi corpus ita confert ad cognoſcendum DEUM, pro ut tenebræ ad videndum, quod & nos hic in corpore exiſtentes non poſſimus cognoſcere DEUM.* ℞. En tertius error malæ illationis. Non ſolum corpus ita non confert ad cognoſcendum, ſicut tenebræ ad videndum, ſed etiam minus, ut oſtendi in prænotatis: male tamen infers: ergo in corpore non poſſumus cognoſcere DEUM: debuiſti prius examinare unde, & quomodo oriatur cognitio animæ in corpore. Oritur ergo non ex *natura corporis, ſed ex decreto DEI* unientis animam corpori eâ lege, ut impreſſiones in organis ſenſuum ſint occaſio cognitionis, & ſenſationis. Sicut ergo DEUS hâc lege univit animam corpori, ſic poteſt ſtatuere legem, ut tenebræ ſint occaſio motus fibrillarum nervi optici, & perconſequens viſionis, quam lux excitat. Igitur ſpectata naturâ corporis nos non poſſenus cognoſcere DEUM, ſed ſpectatâ lege commertii animæ cum corpore & poſſumus, & cognoſcimus.

4

4 *Imo nec beati in corporibus glorioſis poſſent cognoſcere DEUM*; ℞. En quartus error aut Anomæorum, Beguardorum, Beguinarum, aut proximus illorum errori. Quomodo enim corpus poteſt dici naturaliter impedire cognitionem intuitivam beatorum, niſi ſupponatur naturalis in anima potentia ad talem cognitionem: atqui dicere animam naturaliter poſſe cognoſcere DEUM intuitive eſt error Anomæorum: Ergo ſupponitis id, quod ſuppoſuerunt Anomæi: præſertim cum dicatis: *ſi corpus impediret cognitionem DEI in hac vita, impediret etiam cognitionem intuitivam*: atqui corpus vere impedit potentiam animæ naturalem cognoſcendi DEUM abſtractive: quia clarius eum cognoſceret abſtractivè ſi eſſet ſeparata â corpore: Ergo juxta vos etiam impediret potentiam cognoſcendi naturaliter intuitive DEUM, ac per conſequens ſupponitis talem in anima dari potentiam. Quomodo enim dici poteſt impediri illud quod non eſt? Sicut ergo *lumen gloriæ* tollit impotentiam naturalem animæ videndi DEUM intuitive, ſic etiamſi concederemus corpus impedire viſionem beatorum, lumen gloriæ tolleret hoc impedimentum.

5 *Quis autem verum id eſſe dicat?* ℞. Omnes, qui perſpectam habent naturam animæ, corporis, & leges commertii eorum interſe.

6 *Itaq; dicendum potius erat, vt color ad videndum: qui nec officit, nec proficit.* ℞. Juxta modernos Philoſophos, color nihil eſt aliud quam lux: ſed iuxta vos, viſio fieri non poteſt ſine luce: Ergo ſi corpus tantum confert ad cognitionem quantum color ad videndum, ſequitur quod ſicut

vi-

iſio non poteſt fieri ſine luce, ſic neque cognitio ine corpore. Ergo nec DEUS, nec Angeli, nec nimæ ſeparatæ poſſunt cognoſcere ſine corpore: ergo neceſſe eſt, ut ſimus aut Antropomorphitæ, aut materialiſtæ. O Præclari Magiſtri, uam noxiæ tenebræ in veſtra luce. Forte voluiſtis dicere, *ut calor* ad videndum. Aſt & hoc falum eſt: colorem nec officere, nec proficere adidendum. Calor enim eſt *motus inteſtinus parium perturbatus, expanſivus*, &c qui ſemper eſt onjunctus cum motu materiæ æthereæ excitante viſionem. Hinc omnia corpora lucent in enebris, ſi prius ſoli exponantur, ut obſervavit eccari. *Vide commentarium, de quam plurimis hoſphoris nunc primum detectis* Bonon: 1744.

LOCUS LIBRI

Pag: 237 S. Juſtinus Martir Apol: (1ma vel otius 2da ut habetur in editione Pariſina A 1742) ocet quod DEUS creatum hunc mundum comiſerat Angelis regendum. Hi obliti mandati ivini poteſtare ſuâ abuſi ſunt, & ámore mulierum apti, cum illis propagarunt Angelos, quos Diaolos nominamus. Lactantius L. 2. c. 14. potius 15. ut habetur in editione; tum Romana . 1650, tum Pariſina A. 1748) duo genera dæmonum agnoſcit, unum cæleſte, aliud terreſtre: æleſtes, inquit, Angelos miſſos á DEO ad cuſtoiam hominum, diabolus effecit ſervos ſuos irretos amore mulierum &c. Athenagoras, S. lemens Alexandrinus &c. putant diabolos dere carnes, lingere ſangvinem iumentorum (*verendum erat pecorum*) diis immolatorum odora carnes eorum combuſtas: Sed hos errores

I ac-

acceperunt a *Poëtis Pag:* 165 Quale autem fuerit peccatum Angelorum? iuxta Judæos, & multos SS. PP. neglecta cura mundi, cui fuerant præpoſiti, amor mulierum, quô ſunt irretiti, procreatio cum illis Gigantum, propalatio myſteriorum, ſeu arcanorum.

CENSURA

1. *Hæc omnia erant omittenda: propterea, quod Patrum, & præcipuè ſanctorum errores tanquam nuditas a bonis filiis contegenda ſit potius, quam propalanda?* ℟. o! peſſimi filii editores operum SS. PP. & tanto peiores, quanto fideliores! o peſſimi filii omnes Theologi! nullus enim eſt qui non detegat aliquam ſaltem eorum nuditatem. O peſſimi filii Petavius, Calmetus, &c in quibus hi aliique SS. Patrum errores leguntur. Turpior profecto eſt nuditas vitium voluntatis, quam error mentis: quis ergo auſus erat SS. Evangeliſtarum propalare mulierem peccatricem, quæ creditur fuiſſe Magdalena? deſcribere negationem S. Petri? fugam diſcipulorum, Thomæ incrudelitatem, ſcelus & exitium Judæ toti Apoſtolorum collegio tam ignominioſum? Quis auſus ſcriptorum vitarum SSrum, eorum enumerare vitia? forte timuiſtis ne iſti Patres diris me devoverent; ſicut Noe Chanaan. Aſt in me ſit iſta maledictio Patres mei: certus enim ſum ſanctos noſtros Doctores nolle, ut aut in ignorantia, aut multo minus in errore verſemur. Non placet illis gloria ſimulatione, aut diſſimulatione veritatis parta. Omne verum eſt radius illius veritatis, quam intuentur, cujuſque omnes homines

fie-

ſieri participes optant, etiam in hac vita, quantum ſieri poteſt.

2 *Maxime cum eam propalandi nec neceſſitas cogat, nec utilitas exigat* ℞. Et quæro ex vobis? vel debet doceri plebs ſanctos PP. fuiſſe fallibiles, vel non debet doceri? ſi debet doceri fuiſſe fallibiles: Ergo & debet id illis probari, & oſtendi: Ergo debent etiam, aut ſaltem poſſunt utiliter illis detegi errores SS. PP: ſi non debet doceri fuiſſe fallibiles: Ergo permittendum, ut plebs credat errores, quos docuerunt SS. Patres, ut dum audit aliquid Eccleſiam definiviſſe contra ſententiam quorundam SS. PP. ut credat Eccleſiam definiendo erraſſe. Sunt qui erroribus, quos SS. PP. docuerunt, conantur inficere plebem: Ergo debent etiam eſſe, qui eam præſervent contagione, quod fieri non poteſt efficacius, quam detegendo ipſum venenum,

Ut in hoc Libro. ℞. Quid juris habent alii libri detegere errores SS. PP.? Quia tractant aliquod argumentum dogmaticum, aut Theologicum: atqui hoc argumentum, quod tracto de Angelis eſt & dogmaticum, & Theologicum, quod præcipuè definiri debet authoritate Sacræ Scripturæ, Eccleſiæ, & SS. PP. Ergo ſi alii libri habent jus detegendi errores, non eſt hoc jure privandus iſte etiam libellus, hæc enim citatio errorum SS. Patrum lectoribus ſervit ad diſſolvendas objectiones eorum, qui volunt probare Angelos fuiſſe corporeos, & peccaſſe peccato libidinis:

LOCUS LIBRI

Pag: 251 v. 16. Certum autem eſt in mundo du-as eſſe partes (*medietatem potius dicendum erat in terra*) Turcarum, paganorum, Judæorum, ex quibus pauci admodum niſi forte propter ignorantiam invincibilem & innocentiam, ſalvantur.

CENSURA

1. Etſi verum ſit dari in aliquibus ignorantiam invincibilem Myſteriorum fidei Chriſtianæ, & cum ea, ſi ſit invincibilis, poſſe ſalvari, tamen neceſſe eſt ut ignorans invincibiliter myſteria fidei eliciat actus ſupernaturales præſertim fidei de DEO ſaltem ut Remuneratore, & Vindice, ſervetque legem DEI naturalem & ſupernaturalem.

2 Dum Author dicit ignorantem invincibiliter myſteria fidei poſſe ſalvari, ſi innocenter vivat: id verum quidem eſt, modo innocentia non ſumatur late, ſeu non pro ſola non transgreſſione legis naturalis, ſed etiam ſupernaturalis, & ſi inſuper eliciat actus contritionis perfectæ.

3 Etſi verum ſit non poſſe dari longo tempore & maxime eo, quo urget præceptum ſupernaturale, ignorantiam invincibilem DEI ut Remuneratoris, & Vindicis, tamen cum hæc plurimi ignorent, imo nec ſcientibus ea ſemper occurrant, poſſet quis exiſtimare etiam cum ignorantia invincibili DEI poſſe ſalvari aliquos.

4 Declarandum itaque erat requiri in adultis, adeoque etiam in ignorantibus invincibiliter myſteria fidei Chriſtianæ, obſervantiam legis naturalis, & ſupernaturalis, & inſuper actus ſuperna-

tura-

turales ſpei, amoris & fidei ſupernaturalis ſaltem de DEO ut Remuneratore, & Vindice, atque deſiderium baptiſmi.

RESPONSIO.

Antequam mentem meam exponam liceat mihi aliqua ex vobis percontari ? Placet mihi libertas veſtra ſine hæſitatione pronunciandi, *hoc eſt verum, hoc eſt falſum*, nam longæ diſcuſſiones fatigant. Cum tamen ſciam geminam eſſe Theologorum opinionem: alteram requirentium *omnino fidem explicitam in Chriſtum ad ſalutem*, alteram ſufficere *implicitam* contendentium, vellem ſcire, unde vobis conſtet ſecundam eſſe certam ita, ut aſſeverare non dubitetis: *Etſi verum ſit, & dari ignorantiam in aliquibus myſteriorum fidei Chriſtianæ, & cum ea ſi ſit invincibilis, poſſe ſalvari*! Unde, inquam, hoc conſtat eſſe iam certum? An ex nova definitione Pontificis? de hac nos non audivimus. Officii vero mei eſſe puto vos monere: quod dum *homo privatus* definit aliquid ſuâ authoritate, licet definiat Romæ, & definiat *ex cathedra*, nemo non ſolum Romæ, ſed etiam in noſtris Regionibus non ſibi licere putat, dicere, ſi ipſi aliter videtur: *falſum eſt*. Hunc ſcopulum ego evitando dubitanter dixi: Turcas, & gentiles forte paucos, ſalvari propter ignorantiam invincibilem, & innocentiam. 2 dicitis eum, qui habet ignorantiam invincibilem ſalvari poſſe dum modo innocenter vivat: hoc eſt: ut explicatis, ſervet legem *naturalem, & ſuper naturalem*. Quæro: quid per legem *ſupernaturalem* intelligitis? an præcepta decalogi? hæc nemo vocat, *ſuper-*

na-

naturalia: eum pertineant ad ius naturæ, & lumen rationis. *An legem Evangelicam?* at quomodo illam ſervare poteſt, qui ſupponitur habere ignorantiam invincibilem myſteriorum fidei Chriſtianæ? credite mihi hæc *non videntur*, ſed *ſunt* pugnantia. Juxta vos, *ille ignorans invincibiliter*, & ignoraret myſteria fidei Chriſtianæ, & non ignoraret: ignoraret, ut ſupponitis; non ignoraret: quia teneretur ſervare legem Evangelicam, quæ continet Myſteria fidei Chriſtianæ. Quis enim peccat in eo quod nullo modo caveri poteſt inquit S. Aug. Jlle veſter ignorans & teneretur ſervare legem ſupernaturalem, & non teneretur: teneretur; ut ſupponitis: non teneretur: quia ſupponitur ignorare Myſteria fidei, quæ docet lex ſupernaturalis Evangelica. *Dicere peccati reum teneri quemquam, quia non fecit, quod facere non potuit, ſummæ iniquitatis eſt* S. Aug: c. 12 duabus anim:

3 Dicitis in fine: *requiri in adultis* (adeoque & in ignorante invincibiliter) *actus fidei, ſaltem de DEO ut Remuneratore.* Quœro iam: vel audivit ille invincibiliter ignorans prædicantem, vel non audivit? ſi audivit: ergo audiviſſet & de Chriſto: ſi non audivit: quomodo poteſt habere fidem, cum fides iuxta Apoſtolum ſit ex auditu? Dicit quidem S. Paulus: *accedentem ad DEUM oportet credere, quia eſt, & quia Remunerator. eſt,* ſed in hoc loco *credo* accipi debet, præſertim cum ſermo eſt de Gentili ignorante invincibiliter, pro *ſcire*. Quod ſi dicatis: DEUS ipſi revelaſſet vel perſe, vel per Angelum, vel per hominem: Ergo revelaſſet quoque ipſi myſteria fidei Chriſtia-

tianæ: adeoque & illi non ſufficeret fides ſolius DEI remuneratoris, & vos hâc reſponſione pro-
deretis arcem, quam defenditis, Quæſtionis enim ſtatus hic eſt: *an ignorans invincibiliter Religionem revelatam poteſt ſalvari, ſi ſolam ſervet legem naturalem, & ſciat DEUM eſſe Remuneratorem, & Vindicem*: Aliter hæc quæſtio ſic proponitur: *an de neceſſitate medii ad ſalutem neceſſarium ſit credere Chriſtum explicite, an vero hoc ſolum ſit de neceſſitate præcepti: ſervare autem legem naturalem, & ſcire Deum Remuneratorem ſit unicum neceſſarium neceſſitate medii?* Quod ſi igitur admitteretis revelationem privatam neceſſariam, jam eo ipſo negaretis poſſe ſalvari eum, qui ſcit DEUM eſſe Remuneratorem, & ſervat ſolam legem naturalem: quod tamen dixiſtis eſſe verum. Atque ita & aliorum, & veſtram confunderetis ſententiam.

4 *Sub numero 3tio dicitis: Et ſi verum ſit, non poſſe dari longo tempore ignorantiam DEI invincibilem in adultis.* Ergo ſupponitis poſſe dari hanc ignorantiam ad breve tempus. Et cum illo tempore exiguo poſſint, coagitatione ſaltem, comitti plura peccata illa peccata, non eſſent offenſa DEI: quis enim offendit eum, quem ignorat: Ergo eſſent ſolum diſconvenientia naturæ rationali, hoc eſt Philoſophica: quod eſt damnatum ab Alexandro VIII.

5 Sub eodem numero dicitis: non poſſe dari ignorantiam DEI, cum preſertim urget præceptum *ſupernaturale*: ſed præceptum ſupernaturale eſt lex Evangelica ut oſtendi: hæc vero poteſt ab aliquo ignorari etiam toto vitæ tempore,

ut

ut conceditis: Ergo & poteſt dari ignorantia invincibilis DEI ut Remuneratoris toto vitæ tempore. Quis ad hæc non obſtupeſcat. Omnia confuſa permixtaque in iſta cenſura. Qui docent poſſe dari ignorantiam DEI ad breve tempus, negant poſſe dari, quando urget præceptum naturale: vos vero confunditis, & dicitis: *præſertim quando urget præceptum ſupernaturale.*

6 Dicitis in fine: *declarandum erat requiri in adultis, adeoque etiam in ignorantibus invincibiliter miſteria fidei Chriſtianæ actus ſupernaturales fidei &c.* Verum exponere debuiſtis, quomodo illi actus debent eſſe ſupernaturales? *an quo ad modum? an quo ad ſubſtantiam?* ſi quo ad ſubſtantiam unde habetur talis ſupernaturalitas actus?? Nam poſſet aliquis vobis ſic obiicere: Actus ſupernaturalis eſt iuxta Vivam, cuius motivum attingitur lumine fidei ſupernaturali, & cujus comprincipium eſt ſupernaturale: ſeu iuxta alios, & melius, *actus ſupernaturalis, præcipue ſalutaris, eſt cuius motivum eſt ſupernaturale:* Atqui ignorans invincibiliter non ſolum non elicit actus ex motivo ſupernaturali, ſed nequidem poteſt: alias non eſſet ignorans invincibiliter Myſteria fidei: Ergo ignorans invincibiliter nec tenetur, nec poteſt elicere actus fidei &c ſupernaturales. deinde iterum confunditis quæſtionem, & pugnatis vobiſcum: quæſtio eſt an ſervans ſolam legem naturalem ſalvari poſſit? hoc conceditis: quia conceditis poſſe ignorantem myſteria fidei Chriſtianæ ſalvari: & hic iterum hoc negatis: quia *dicitis requiri actus ſupernaturales*, qui non poſſunt eſſe ſupernaturales, niſi habeant motivum

re-

revelatum. Quibus nota eſt revelatio debent elicere *actus ſupernaturales*, ſed ignorans invincibiliter non tenetur eos elicere, imo nec poteſt, niſi ſolum *ſupernaturales*, ſi dici poteſt, *implicite.*

Videte jam: quis noſtrum reus ſit? voluiſtis me docere, quid erat in libro declarandum; & non ſolum non explicaſtis, ſed etiam ita confudiſtis, ut non ſolum rudis, ſed ne Theologus quidem diſcernere poſſet, quid docetis. Ego neceſſario quidem, ſed incidenter rem hanc attigi, & quod clarius rem non declaraverim, accuſatis. Nunquid ex inſtituto; ut vos, de hoc argumento ſcripſi? Et ſi declaraſſem, digreſſiones à me fieri inutiles clamaretis. Quantum tamen argumentum poſtulabat, omnia expoſui: nam uſus ſum modo loquendi, qui exprimit omnia ea, quæ vos ab ignorante invincibiliter myſteria fidei requiritis. *Dixi enim paucos e gentilibus, Turcis, Iudæis, ſalvari, forte propter innocentiam, & ignorantiam invincibilem.* Jam vel elicit ille gentilis actum amoris DEI, vel non? ſi elicit: *Ergo credit, ſperat, deſiderat baptiſmum implicite, & deteſtatur peccata, atque liber eſt a peccato originali.* Si non elicit: Ergo non eſt innocens: nam quilibet adultus tenetur elicere actum amoris DEI ſuper omnia. Numquid aut plus, aut clarius dixiſtis in tota veſtra cenſura, quam quod ego unicâ voce *innocentia* ſum complexus?

At poteſt, dicitis, aliquis inferre, *etiam cum ignorantia invincibili* DEI poſſe ſalvari: Ego ex veſtra cenſura tam multa abſurda, non abſurde intuli, & alii plura adhuc inferre poſſunt: cur ergo tam ſcripſiſtis? Ex verbis vero meis nemo hoc

in-

inferet niſi qui ſe ipſum decipere volet. Nam 1ᵐ Ignorantia invincibilis DEI in adultis dari ne a breviſſimum tempus poteſt ut Vindicis & Remu neratoris, iuxta me 2 Quia ibi non loquor de ſo lis Gentilibus, ſed ſimul, & conjunctim de Turci Judæis. Quis vero ſanus inferet: inter Tur cas, & Judæos dari poſſe adultos; *qui ignorent DE UM invincibiliter.* Ergo nec poſſunt inferr me loqui de ignorantia invincibili DEI: 3ti Quia uius ſum voce, quæ in noſtra lingua no ſimpliciter ſignificat *qualemcunque ignorantiam* ſed illius rei, quæ diſcitur, cognoſcitur *ex doctri na, narratioue, aut rumore. Znaiomość, enim:* ſigni ficat apud nos notitiam, & ſcientiam: *Wiadomoś* autem ſignificat *notitiam ex auditu*: hinc nov vocantur non *znaiomości ſed wiadomości publiczn* proinde *nieznaiomość*, eſt proprie neſcientia, ſe negatio ſcientiæ ſimpliciter *nie wiadomość* auten eſt ignorantia earum rerum, quæ diſcuntur, au audiuntur, Nemo Polonorum dicit: *niewiado mość Boga*, ſed *nieznaiomość DEI*: èçontra du loquimur de ignorantia Religionis revelatæ no dicimus: *nieznaiomość* Religionis Chriſtianæ, ſe *niewiadomość*. Hæc Polonis.

Denique etiamſi quis inferret: *poſſe aliquos ſal vari cum ignorantia invincibili DEI*, quid tum num aliquid alienum a fide, aut a veritate infe ret? An non ſalvantur cum ignorantia invincibi li DEI infantes ac perpetuo amentes poſt bapti ſmum decedentes? Quodſi id de adultis ratio utentibus exiſtimaret, nec ſe, nec alios deciper poſſet, cum ignorantia talis DEI ſit impoſſibilis i adultis: atque adeo id faceret quod faciunt Athe

ſi-

mulando DEUM ignorare, qui tamen Athei iam rant in mundo antequam liber meus in lucem rodiret.

7 Citando locum libri interſeruiſtis gloſſulam auc: *medietatem potius dicendum erat eſſe in ter-a:* ſcilicet Turcaru, Gentilium, Judæorum. Ut ideo præ veſtro *Videtur* non ſolum Theologos, hiloſophos, Hiſtoricos, Geographos, ſed ocula-eſſimos etiam teſtes, qui orbem peragrarunt, nihili ucitis: nàm iuxta hos numerus incolarum Europæ, bi etiam ſunt multi Judæi Turcæ: ad numerum ncolarum Aſiæ, Africæ, Americæ, ubi pauciſ-mi ſunt Chriſtiani comparate ad alios, ita ſe ha-et ſicut 1. ad 8. aut ad ſummum ſicut 1. ad 6. for- numeraſtis etiam incolas aliorum planetarum, uos ibidem aliqui Philoſophorum collocant: ſed mihi ſcribenti non venerunt in mentem: etſi eniſſent ingenuè fateor: ignoro an ſint illi Chri-iani, an Gentiles, Judæi, vel Turcæ?

LOCUS LIBRI

Pag: 278 v. 1, In quam partem lignum ceciderit, i manebit dicit Chriſtus.

CENSURA

Videtur author ſupponere hæc verba dicta eſſe Chriſto: cum tamen hic textus non ſit in E-ngelio, ſed Eccleſiaſt: c. 11.

RESPONSIO

Dum dicimus: DEUS dicit, non excludimus Pro-hetam. & dum dicimus Propheta dicit non excludi-us DEUM inquit S. Auguſ: in Lib: de cura pro ortu: ſi poſſumus citando verba Chriſti dicere: criptura, Evangeliſta dicit, cur non poſſumus

di-

dicere Chriſtum dixiſſe, quæ Eccleſiaſtes dixit cum Chriſtus ſit & Author, & finis totius Scripturæ? An non ſimiles citationes reperiemus & in SS. PP. & in concionatoribus &c. deinde S. *Iuſtin M. Dialog: cum Tryph: Clem: Alex: Lib. Quis dives ſalvus? Baſil: ad Chilon: Amphiloch de Pœnit:* &c. ſententiam huic fermè ſimilem veluti ex JESU Chriſto recitant: *In quibus vos deprehendero, in eis & judicabo.* Vos ipſi adduxiſtis proſam ex miſſa defunctorum, ubi cantatur: *dies iræ ſolvet ſæclum in favilla teſte David cum Sibilla,* at non David, ſed S. Petrus dicit mundum igne exurendum.

LOCUS LIBRI

Pa:278 à n.105 Quoniam iuxta ſententiam Theologorum ſequentium S. Thomam adeo miſer ſit ſtatus Dæmonum, ut non habeant aptitudinem ponderandi motiva ad faciendum bonum, neſcio quo fundamento nixi aliqui tribuunt eis ſingularem rerum cognitionem: Angelus equidem, pro ſpiritus intellectu præditus, & unicè ideo factus ut cognoſcat creatorem rerum, ab eo factarum, natura ſua cognoſcit ſubſtantiam ſuam; & aliorum ſpirituum creatorum: cognoſcit naturas, & proprietaties ſubſtantiarum materialium, earum vires connexionem, proportionem, ſitum partium, effectus etiam futuros: cognoſcit cogitationes & deſideria hominum non libera, hoc eſt illa &c. p. 280 v. 3 Nihilominus Angeli boni, ſi non omnium omnium hominum, ſaltem cuſtodes vident ſecreta cordium, &c. Diaboli non amiſerunt quidem vim cognoſcendi, quam habuerunt æquæ perfectam,

ctam, ac Angeli boni, amiſerunt tamen aptitudinem il âutendi. Anima noſtra habet potentiam cognoſcendi Angelos, nunc autem naturam ſuam, & actiones, quas in corpore peragit, perfecte non cognoſcit: nam res ſub ſenſus cadentes, & continuo eos afficientes, ita animam avocant, ut ei non ſuppetat ſpatium temporis reflectendi ſe ſupra ſe ipſam, & ſupra ſuas actiones (p. 281. Ita Diaboli cum habeant totam mentem in triſtitia, in deſperatione, in odio DEI, in ira erga homines, in cruciatibus, in igne, cui ſunt alligati demerſam, quâ ratione magni Philoſophi eſſe poſſunt? ſapientiſſimos homines æſtus febris dementes efficit. Præterea cogitatio rerum eſt pars beatitudinis ſubſtantiæ rationalis, quâ igitur ratione competere poteſt ſtatui undequaque infeliciſſimo in quo eſt Diabolus) Diaboli, dices, ex delubris oracula dabant: ſit ita, aſt hæc oracula aut nullus, aut modicæ notitiæ in Diabolo ſunt argumentum.

RESPONSIO.

Loco citato examino hanc quæſtionem: *An Dæmon habeat tantam ſcientiam, quantam habere poteſt ut ſubſtantia intellectiva, & quantam vulgus illi tribuit.* Et Reſpondeo negative. Nam vis eorum cognoſcitiva impeditur ſtatû miſero damnationis, triſtitiâ, deſperatione, odiô DEI, & hominum, quibus intellectus eorum totus plane occupatur. Hoc vero probo ſequentibus rationibus. 1mo Quia S. Thomas inter alias cauſas cur Dæmones non poſſint agere bene, hanc etiam adfert: quia propter pænas, & triſtitiam, quam patiuntur,

non

non habent facilitatem perpendendi motiva ben[e] agendi 2 Quia anima etiam in corpore, propte[r] obverſantia ſenſibus objecta impeditur a cogni[-] tione, ita: ut ne ſe ipſam quidem tam perfect[è] ut poſſet, cognoſcat 3 Quia homines doctos fe[-] bris maligna è Philoſophis reddit dementes 4 Quia cognitio rerum pertinet ad beatitudi[-] nem accidentalem ſubſtantiæ rationalis, quæ be[-] atitudo nullatenus convenit ſtatui omni ex parte miſero dæmonum 5 et poſtremo dico: dæmones ſi quid ſingulare, & præſertim è futuris cognove[-] runt, illud cognoviſſe aut conjecturâ, aut ex ſpe[-] ciali DEI permiſſione. Ubi bene diſtingvenda eſt in Dæmonibus 1 *cognitio quam poſſunt habere ex natura ſua* 2 *Quam poſſunt habere, & habent in præſenti ſuo ſtatu miſero* 3 *quam habent aliquan[-] do, nunc etiam, ex permiſſione divina.* His præmiſ[-] ſis examinemus cenſuram.

CENSURA & RESPONSIO

1 *Cum Author dicat Angelos* (*utique etiam ma[-] los: nam univerſaliter loquitur de Angelis p.* 278 *cognoſcere ſuam ſubſtantiam* &c.℞. Per Angelum hic nequaquam intelligo tam *bonum*, quam *ma[-] lum*, ſed ſolum *bonum*, aut ad ſummum, ſi vis, *An[-] gelum pro ut eſt ſubſtantia incorporea* intellecti[-] va a nulla re impedita ad cognoſcendum, Nam 1 in noſtra lingva hæc vox *Angelus* ordinariè ſi[-] gnificat *Angelum bonum* 2 quia etiam in aliis lin[-] gvis idem ſignificat: præſertim cum comparatio inſtituitur Angelorum bonorum cum malis, & malus deſignatur alio vocabulo, bonus alio: At[-] qui in hoc loco comparationem inſtituo Ange[-]

lo-

orum bonorum, & malorum quo ad cognitio-
nem, *Angelumque malum* deſigno vocabulo *dæ-
mon*, *& bonum* vocabulo *Angelus*: Ergo nec lo-
quor, nec poſſum intelligi loqui *univerſaliter
tam de bonis*, quam *de malis Angelis* 3 Quia inter
a, que Angelus cognoſcit numero etiam ſecreta
ordium, quæ DEUS illis revelat, hoc vero quo-
modo de Dæmonibus intelligi poſſit? 4. Quia &
ante enumerationem eorum, quæ Angelus cogno-
ſcit, præmiſi: *non habere Dæmones tantam ſcien-
tiam, quanta illis tribuitur, &* pag. 280 enumera-
tis his, dico: *Dæmones non amiſiſſe quidem vim
cognoſcendi, quam æque ac Angeli boni perfectam
habent, amiſerunt tamen facultatem eâ utendi* hoc-
que deinceps probo, 6 Etiamſi univerſaliter di-
cerem tam de Angelis bonis, quam malis, non
aliud tamen inferri poſſet quam quod Angelus
tam bonus, quam malus, ut ſunt ſubſtantiæ intel-
lectivæ illa cognoſcant; ſi facultas eorum à nul-
la re impediatur. Verba mea hæc ſunt: *Ange-
lus ut eſt ſubſtantia incorporea, intellectiva, creata
ad laudandum DEUM ex cognitione creaturarum
cognoſcit &c, lege attente omnia a pagina 278, n.
105 uſque ad numerum* 106 & tum intelliges no-
dum in ſcirpo fuiſſe quæſitum.

2 *Videtur ſibi contradicere* 1mo *præmittendo
eâdem paginâ: neſcio quo fundamento.* ℟. Præ-
miſi hæc: cum iuxta S. Thomam *tam miſer ſit
ſtatus Dæmonum, ut ne quidem habeant faculta-
tem attendendi ad motiva bene agendi, neſcio quo
fundamento ab aliquibus illi tribuatur ſingularis
ſcientia, & rerum cognitio.* Ergo nullum dico eſſe
fundamentum tribuendi dæmonibus, non ut ſunt

ſpi-

ſpiritus, ſed ut ſunt damnati, tribuendi, inquam, ſingularem cognitionem,

3 Atqui pag. 278 & 279 dixerat: *cognoſcere eos plurima, quæ ibidem enumerat: ergo non amiſerunt aptitudinem utendi vi cognoſcendi: ubi enim eſt actualis cognitio tantarum rerum, ibi etiam eſt aptitudo utendi vi cognoſcendi.* ℟. Non ego, ſed res ipſa dicit: *falſum eſſe*: me dixiſſe *eos*, ideſt Dæmones cognoſcere plurima, quæ ibidem enumero. Dixi *Angelum*, ſcilicet ut ex comparatione, quam inſtituo, & ex diverſis vocabulis, quibus diſtingvo eos; *bonum*; aut ad ſummum *Angelum*, *ut liberum ab omni impedimento*, illa, quæ ibidem recenſeo, cognoſcere. *vide 1mam reſponſionem.*

4 3tio *Videtur ſibi contradicere p.* 281 *v.* 2. *dicens*: *Ita Diabolus &c: Negat igitur hoc loco Diabolum eſſe Philoſophum.* ℟. Nego hoc loco Diabolum eſſe Philoſophum talem, qualis Angelus poteſt eſſe ſpectatâ ſolâ vi ipſius naturali nullo impeditâ C. Talem, quales ſunt homines *Trans* Miror cur non totus recitatur locus? en ipſum, relege: *Ita Dæmones habentes mentem abſorptam triſtitiâ, deſperatione, odio DEI & hominum, tormentis, & igne, cui ſunt alligati quomodo poſſunt eſſe boni Philoſophi: Sapientiſſimos hominum febris maligna deliros efficit.* Vides me hic non comparare cognitionem Dæmonum cum cognitione hominum, ſed cognitionem Dæmonum, quam poſſent habere ſpectatâ ſuâ vi naturali cum cognitione, quam habent in ſtatu damnationis. Dum vero dico: *quomodo poſſunt eſſe boni Philoſophi*: per Philoſophum intelligo

in-

telligo in genere ſapientem, ſeu ſubſtantiam ha-
entem cognitionem proportionatam ſuæ capa-
tati, non vero aliquem *Peripateticum*, aut *Neo-
ricum*, aut quemcunque alium volueris. *Phi-
ſophia enim eſt ſtudium, & amor ſapientiæ. Sa-
ientia autem, ut a veteribus Philoſophis definitur,
t rerum divinarum, & humanarum, cauſarum-
ue, quibus hæ res continentur ſcientia*, inquit Cicero
e officiis l: 2. c. 2. Senſus ergo loci hujus eſt iſte:
febris maligna deiicit homines de ſtatu mentis,
omodo Dæmones in ſtatu damnationis poſſunt
e *Philoſophi*, hoc eſt *ſapientes*, & habere ſuæ vi
turali cognitionem proportionatam? Dixi
ans: Quia licet dixiſſem: Dæmones non eſſe ta-
s Philoſophos, quales ſunt homines, tamen ni-
l abſurdi aſſeruiſſem: nam homines utuntur vi
â cognoſcitivâ, quando volunt, Dæmones quid-
id cognoſcunt ex ſola permiſſione DEI cogno-
unt: hominibus cognitio ſervit & ad oblecta-
onem, & ad eruditionem, dæmonibus ad au-
ndam triſtitiam, & dolorem, & confuſionem
entis, Philoſophi eſt invenire, & docere verum,
emon utitur cognitione ad decipiendum ſolum:
mines cognoſcunt objecta cognitione *reflexa*,
æ ſola parit ſcientiam; Dæmon autem forte
n cognoſcit, niſi cognitione *directa*, qualis &
infantibus datur, quæque ſufficit ad exequen-
m id, quod DEUS permittit facere dæmoni,
l non ſervit ad mentem illuſtrandam, & oble-
ndam, Verbo: beatido ſubſtantiæ rationalis
nſiſtit in cognitione, & fruitione, Dæmoni ne-
e naturalis competit beatitudo: Ergo Dæ-

 mon

mon neque talis poteſt eſſe Philoſophus, qualee ſunt homines.

5 *Si enim vere mali Angeli iſta cognoſcunt, merito illis tribuitur ſingularis rerum cognitio. Al faciendum autem bonum nemo illis tribuit cognitionem niſi fortaſſis Origines:* ℞ Suarez lib. 8. de Angelis 9. d. n. 7, c. 8. n. 3. c. 11. n. 22. & 2 Petavius lib: 5. Theologiæ dogmat: c. 10 n. 1 Grandinus Tract: de gratia q. 1. ſect: 3. Vaſquez, Jſam bert, Tannerus & alii tribuunt dæmonibus cogni nem ad faciendum bonum: docent enim Dæmo nes, & damnatos gaudere vera ac proprie dict non quidem *morali*, ſed *Phyſica* electionis indi ferentia non ad bonum ſupernaturale; cum omn prorſus gratia deſtituantur, *ſed ad aliquod bonum morale ordinis naturalis.* Quomodo er go Theologus audet aſſerere ad bonum facien dum nemo Dæmoni tribuit cognitionem, niſi fo taſſis Origines? En quam ſolido fundament nituntur cenſuræ, quæ ſuper-ædificantur verb *videor.*

6 *Et ſupra p. 278 & 279 eam cognitionem attribuit Diabolo, quæ etiam in ſapientiſſimis Philoſophis tum antiquis, tum recentioribus non r peritur. Ergo Diabolus eſt bonus Philoſophus, quidem melior omnibus: cum nullus Philoſophorum hæc cognoſcit, quæ cognoſcit Diabolus.* ℞. Ne gavi, & nego me attribuere dæmoni talem cogn tionem, ſed *Angelo*, prout eſt ſubſtantia intelle ctiva, libera, & expedita in exercendis ſuis functi onibus: atqui infra dico Dæmonis vim cogno ſcitivam impediri: Ergo licet Diabolus ſit ſp ritus, non tamen illi tribuo illam cognitionem

quam

uam Angelus habet liber, & non impeditus n exercendis ſuis functionibus: præſertim eum & mpediri ejus facultatem cognoſcitivam aſſeram, & diverſis nominibus diſtinguam illum ab Angelo. Quando enim vocatur hoc vocabulo *Diabolus*, non vocatur *Angelus.* Deinde quid diceretis, ſi quis vobis ſimpliciter negaret Diabolum ſſe *Angelum:* Angelus enim vocatur *a mittendo*, ò quod a ſuperiore mittatur: Atqui Dæmon non nittitur a DEO proprie, ſed permittitur agere: on a Lucipero: quia hic non habet auctoritaem in alios dæmones ut oſtendi, & oſtendam.

7 *Item pag. 67. v, a fine 3 dixerat: Signa utem ex quibus Theologi cognoſci volunt arreptiios hæc ſunt: Locutio variis lingvis, peritia ſcieniarum, quibus homo nunquam ſtuduit, manifeſtatio bditarum, & longe poſitarum rerum: ergo ex ſenſu heologorum, quem author ſaltem* tacite approbat, um non *reiicit, Diabolus præditus eſt ſcintia.* ℞. *Præditus eſt ſcientia proportionata i ſuæ naturali.* N. *non proportionata* ſed qualicunue Tr. Diabolus quidquid agit in energumenis, git ex ſpeciali DEI permiſſione: Ergo illa ſcienia non eſt proprie illa, quæ Dæmoni competit in atu damnationis: neque enim hæc ſolum, quæ anifeſtat per energumenos poſſet ſcire, ſi liberum illi eſſet uti facultate cognoſcitiva. Quæ orro eſt iſta illatio? *Senſum Theologorum author acite approbat, dum non reiicit,* hoc eſt: *dum refert ſolum.* An non poteſt author in uno loco arrare, quid ſentiant Theologi non rejiciendo illorum ſenſum: quia necdum locus permittit illum xaminare, et in alio loco, in quo id argumen-

tum pertractatur, reiicere? vos ipſi in Philoſophia, & Theologia prius præmittebatis, quid alii ſentiant, tum deinde veſtram ſententiam per præconem, qui vocabatur *Dico*, promulgabatis.

8 *Item p. 77 dixerat quantum autem efficere poſſit* (*Diabolus*) *arbitror plus eum poſſe quam homines: cum enim corpori unitus non ſit melius cognoſcit cauſas, naturas, vires, proprietates, & ſitum partium rerum materialium, ac proinde efficacius ad fines ſibi præfixos illis uti poteſt. Ergo ex ſententia authoris Diabolus eſt Philoſophus* ℞. plus poteſt efficere quam homines, & melius *cognoſcit ſpectatâ naturâ illius, & permiſſione DEI.* C, melius cognoſcit, quam homo, ſpectato ſtatu damnationis Tr. Deinde p. 278 & 279 &c. non nego Dæmones plura cognoſcere, *quam cognoſcunt homines*, ſed nego tantum cognoſcere, quantum cognoſcunt *Angeli* naturaliter, & quantum cognitionis Dæmonibus vulgus tribuit.

9 *Item p. 90 v. 3 dixerat : educeremus fortaſſe pullos gallinaceos ex ovis intra aliquot horas, aut dies, ſi tanto tempore viveremus, quanto Diabolus. Ergo Diabolus eſt bonus Philoſophus* ℞. Plures Philoſophi neſciunt educere ex ovis pullos gallinaceos, & matres familias id ſciunt: ergo illæ ſunt *Sophiæ*. In illo loco hoc ſolum aſſero: ſi verum eſt, quemadmodum alii docent, Dæmonem ex ovis *ſerpentes eduxiſſe*, non eſſet hoc miraculum: quia & nos id efficeremus, & revera aliqui qui efficiunt: Quid hoc ergo ſervit ad probandam ſcientiam Dæmonis, preſertim quod hæc omnia, quæ fecit in Ægypto, agebat ex ſpeciali DEI permiſſione?

10

10 *Item p. 152 v. 3 dixerat: Nam ſi nubes, quæ ihil aliud ſunt niſi collectio vaporum exhibent freuenter montes, arbores, hortos, palatia, homines, ur Diabolus non poſſit vapores ita componere, ut b eis lux reflectatur, & in oculos incidat, ita prot reflectitur, & in oculos incidit a corpore, in quo ult apparere. Atqui hoc nullus Philoſophorum acere poteſt. Ergo Diabolus eſt ſapientior omniius Philoſophis* ℞. Confectores ſpeculorum ita olire vitra ſciunt, ut lux reflexa exhibeat faciem ntuentis, Pictores ita ſciunt diſponere colores, t exhibeant ſpeciem cujus voluerint: hoc mana pars Philoſophorum facere non poteſt, nec æmon unquam hoc feciſſe legitur: Ergo conectores ſpeculorum, & pictores ſunt ſapientioes & illis Philoſophis, & ipſo Dæmone,

11 *Item p. 155 poſt medium & ſeq: dixerat: deuit itaque Diabolus accedendo ad Chriſtum Doinum ita intra ſe argumentari: ſolus tantum DES poteſt mutare ſubſtantiam unam in alteram lades eg. in panes: igitur ſi Chriſtus hoc fecerit inllibiliter demonſtrabit ſe eſſe DEUM. Aut xta ſententiam nonnullorum interpretum S. Scriuræ, ita intra ſe argumentabatur: Deus non teſt facere miraculum niſi ad confirmandam vetatem: commutando lapides in panes fat verum miraculum, & quidem in confirmationem ius rei, quam ex ipſo percontabor, num ſcilicet ſit ius DEI: igitur cum nullus ſpiritus creatus miracum facere valet, cognoſcam illum eſſe verum DEM. Bene argumentatus eſt Diabolus: Ergo eſt nus Philoſophus* ℞. Video hic contrahere fronm, & tumultuari Philoſophos. Quis eſt,

in-

inquiunt, iſte inſicetus, qui ſic noſtram deſpicit facultatem? Ergo omnis conditionis homines, imo bruta ipſa, quæ juxta multos Philoſophos, Jezu taſq ipſos ratiocinantur, nobiſcum partientur & labores & honores? ergone Elephantes erunt Doctores, Simiæ, vulpes, apes, &c. Baccalaurei inclytæ facultatis? Philoſophia, juxta Ciceronem Tuſcul 5. c. 3. *Divinarum Humanarumque rerum, tum initiorum, cauſarumque, tum cujuſque rei cognitione, hoc pulcherrimum ſapientiæ nomen apud antiquos obtinuit.* Illa *eſt accuratiſſima, ac honoratiſſima rerum multarum, ac difficilium cognitio, veritatis ſcientia, ars artium, diſciplina diſciplinarum mater omnium bonarum artium, laudatarum omnium artium procreatrix quœdam, & quaſi parens, inventrix legum, magiſtra morum, & diſciplinæ vitæ dux, virtutis indagatrix, expultrixque vitiorum, ars vitæ, cultura, & medicina animi,* ut eam vocant Ariſtoteles, Macrobius, Cicero, Plato &c. Et neſcio quis audet nos exæquare brutis ipſis? Non mihi quæſo ſuccenſeatis, o inclyte facultatis cultores! Laurea Philoſophica omnis conditionis hominibus, & brutis ipſis, non a me quidem, ſed hôc argumentô eſt illis impetrata. *Diabolus bene argumentatus eſt: ergo Diabolus bonus eſt Philoſophus; ſed homines omnis conditionis, imo ipſa bruta ratiocinantur.* Ergo hi omnes boni *ſunt Philoſophi.* Ubi tam parvô tam magna venduntur? quærite Philoſophi.

12 *Item a fine p. 172 v a fine ultimo & p. ſeq. dixerat nullum autem videmus fundamentum aſſerendi, quod Diabolus aut naturalem illorum (hoc eſt tempeſtatum, pluviarum, tonitruum, fulgurum* ful-

ſulminum) *effectus non cognoſcat, aut quod il-los*) *hoc eſt vapores, exhalationes commovere, & in unum locum colligere non poſſit. Quodſi e ſententia authoris cognoſcit hæc Diabolus, profecto eſt bonus Philoſophus* ℞. Et aves cognoſcunt vapores, & canes exhalationes: Senſatio nihil enim eſt aliud, quam cognitio. Ergo ſunt boni Philoſophi. Ut meam propoſitionem convellas, debes oſtendere dæmonem cognoſcendo vapores, fulgura, fulmina, cognoſcere omnia, quæ ſuâ naturali & Angelica vî cognoſcere poteſt, & quod hæc non ſola DEI permiſſione cognoſcat, ſed libere & quando vult cognoſcat.

13 *Videtur Author dictis contradicere p.* 141 *v.* 6. *licet autem Diabolus poſſit cognoſcere effectus ſubſtantiarum materialium, nullum tamen habemus fundamentum nos convincens quod cognoſcat naturas rerum materialium* ℞. Ut hoc intelligas revoca tibi in memoriam: corpus a Philoſophis ſimpliciter vocari *elementa* ipſa prima, ſeu *atomos.*, ex quibus componuntur *molleculæ majores:* corpus vero *mixtum* vocatur illud, quod componitur ex atomis & molleculis, ut aurum, argentum, flamma. *Corpus compoſitum,* quod ex pluribus mixtis coaleſcit, ut ex pluribus plantis coctis liquor fit compoſitus, ex pluribus metallis ſimul commixtis maſſa efficitur compoſita. Secundo hæc vox: *natura corporis* varie quoque accipitur: aut ſignificat ipſa *prima principia* ſeu *atomos*, ex quibus mixta componuntur, aut ſignificat certas affectiones, & modificationes corporum mixtorum, & compoſitorum, ut duritiem, inflammabilitatem, colorem, ſaporem &c, Hinc

co-

cognoſcere naturam corporis eſt aut cognoſcere ſolum affectiones corporis, aut cognoſcere *ipſas atomos*, earumque *intimam texturam* : quæ ſignificatio colligi debet ex ſubiecta materia. Pagina ergo 141 v. 16 loquor de transmutatione corporis *unius mixti* in aliud *mixtum*, ſcilicet argenti in aurum &c quæ tranſmutatio fieri non poteſt ſine mutatione atomorum, & ſine earundem cognitione: cum autem atomi, ſeu *molleculæ primigeniæ* ſaltem iuxta multos Philoſophos, poſſint dividi in infinitum, hinc dico: nullum me habere fundamentum, aſſerendi Dæmonem has atomos, earumque intimam texturam cognoſcere : præſertim cum aſſerere dæmonem poſſe efficere corpora mixta ſit quodammodo confirmare errorem eorum, qui docuerunt entia viſibilia facta eſſe a Dæmone. Pag: vero 272. v. à fine ultimo loquor de formatione vaporum, exhalationum, fulgurum, & fulminum, adeoque loquor de transmutatione unius *mixti corporis* in aliud corpus non mixtum, ſed compoſitum, ad quod non eſt neceſſe ut cognoſcatur natura, & intima textura ipſarum atomorum, ſed ſufficit, ut cognoſcantur *affectiones corporum mixtorum*. Dicendo ergo Dæmonem cognoſcere *naturam vaporum*, ſignifico a dæmone cognoſci affectiones vaporum ſeu cognoſci tantum, quantum neceſſe eſt cognoſcere ad pluviam &c efformandam, quod & nos cognoſcimus, nimirum quod ſint particulæ aqueæ, liquidæ aptæ ad hoc, ut in unum congregatæ efficiant guttas majores ; exhalationes autem, quod ſint particulæ *ſolidæ*, inflammabiles, calore a corpore avulſæ, & aptæ ad hoc, ut ex combinatione earum efficiantur

ır fulgura &c, Cognoſcit ergo Dæmon naturam
ıporum, & non cognoſcit; cognoſcit quo ad af-
ɛctiones eorum, & tantum, quantum neceſſe eſt
d efficiendam pluviam, ſed non cognoſcit inti-
ıam atomorum naturam, & compoſitionem, ſeu
a, ut vapores hos mutare poſſit in aurum, ar-
entum, plantas, conchas &c, declaro id ſolum
xemplo. Pyrobolarius *cognoſcit naturam ſul-
phuris*, nitri, & carbonis, *& non cognoſcit*: cogno-
it naturam ſulphuris, nitri &c, quia ſcit illa eſſe
flammabilia, expanſiva &c adeoque tantum co-
noſcit, quantum neceſſe eſt ad efficiendum pul-
erem pyrium: non cognoſcit autem naturam ſul-
ris, ſeu quantum neceſſe eſt ad transmutandum
lphur in nitrum, aut carbonem in ſulfur: quia non
ognoſcit intimam atomornm ſtructuram: En ut!
tentio ad ſubiectam materiam aperit oculos:
ım vero dico vapores, & exhalationes cognoſci à
æmone, ſemper ſubintelligo hanc conditio-
em, dum Deus permittit.

14 *Locis iam adductis dixerat: Diabolum co-
noſcere naturam rerum materialium, ſitum par-
um, hoc autem loco negat* ℞. falſum eſt me hoc
xiſſe locis adductis, dixi *Angelos*, non Dæmones
ognoſcere naturas rerum materialium.

15 *Hæ contradictiones cum ſuis rationibus
lerari non poſſunt* ℞. Mihi vero rationes, quæ hic
feruntur non ſunt graves: adeoque a me tole-
ri poſſunt, & tolerantur: hoc me ſolum premit,
od non earum pondere, ſed ipſa levitate oppri-
ar.

16 *Ab homine febri æſtuante, & delirante ad
æmonem paritas non valet.* ℞. Non valet *in eo*

in

in quo non inſtituitur Tra: *in quo inſtituitur* : N.
A Dæmone ad hominem paritas, non valet, cur ergo ſine fine repetitis: ergo Dæmon eſt bonus Philoſophus? cur in Deo tam multiplicem admittebatis ſcientiam, ſimplicis intelligentisæ, mediam, viſionis ? cur Theologi, ut probent ſpiritus ab igne materiali torqueri utuntur hàc paritate, ut anima in corpore ſentit adustionem, licet ignis nec tangat, nec diſcerpat animam, ſic ſpiritus poteſt pati combuſtionem ab igne in inferno. Cur infinitis aliis utuntur paritatibus à Deo, & Angelis ad hominem, ab homine ad Deum, & Angelos : longum eſſet omnia exſcribere , ſcientibus ſatis.

17 *Quia homo operatur dependenter à ſenſibus non item Diabolus* ℞: Nec Diabolus patitur dependenter ab igne N. & patitur C. En omni moda paritas: ſicut motus inordinatus ſpirituum animalium mentem febricitantis ad ſe abripiendo impedit ab attentione ad alia obiecta, ita ſtatus damnationis Dæmonum, igniſque cui ſunt alligati occupat totum eorum intellectum : adeoque impedit ne obiecta, quæ ſuâ vi nativâ ab impedimento hoc liberâ cognoviſſent. Triſtitia, dolor impediunt hominem: quia mens illis maxime obiectis eſt intenta, ergo & Dæmones ſimiliter &c

18 *Cognitio rerum naturalium, imo & ſupernaturalium, ac etiam ex illis ipſius DEI non facit Diabolos beatos, ſed potius auget pœnam damni: cum cognoſcant, quantum bonum amiſerint.*

℞, Non ſatis eſt aſſerere, ſed neceſſe quoque probare 1. quod Dæmones cognoſcant omnia, quæ poſſunt cognoſcere vi nativâ. 2 quod cognoſcant obiecta *ſupernaturalia*, & præcipue quæ?

&

& tum deinde inferre: hæc omnia ſervire ad au-
gendam eorum pænam. Ego vero dico cum o-
mnibus Theologis: cognitio creaturarum clara, & diſtincta auget *beatitudinem accidentalem* bea-
torum in cælis: quia ſatiat intellectum, qui natu-
raltèr ſcire deſiderat: ergo & damnatorum
hæc cognitio, aut minueret, aut leniret pænam.
Scire eſt bonum intellectus creati, & ſola illius
voluptas: Atqui omne bonum, & voluptatem
excludit ſtatus Damnationis. Ergo excludit &
ſcientiam. Hinc S. Judas v. 6. dicit: eos *ſub
caligine reſervari, non aeris*, quia ſpiritum aer
cognoſcendo impedire non poteſt; *ſed mentis*,
hoc eſt à Dæmonibus nihil ſciri, quæ fiunt in
mundo, niſi in particulari Deus cuivis eorum per-
miſerit. Dæmones quantum bonum amiſerint
amittendo Deum ſatis ſciunt quantum opus eſt
ad illorum damnationem: quia non ſolum ſciunt
ſpeculative, ſed *experimetaliter*, ut loquuntur
Theologi.

19 *Ex cognitione non ſequitur vis efficiendi.
Sic cognoſcimus ecclipſim ſolis, & lunæ, non tamen
eas poſſumus efficere.*

℞. Ex cognitione quidem non ſequitur vis
efficiendi, ſed recte ſequitur: *fecit, vel facit, præ-
ſertim ſi faciat modo rationali creaturæ convenien-
ti: Ergo cognoſcit.* Item ſequitur: non cogno-
ſcit hoc, ergo nec facere poteſt. Cum ergo ibi
quæſtionem examinarem, an Dæmon poſſit tem-
peſtates concitare, prius præmittendum erat an
ea, quæ ſunt ad hoc neceſſaria cognoſcat, deinde
an poſſit hoc facere. Hæc eſt ergo mea argu-
mentatio: *Non habeo fundamentum negandi à Dæ-*

mo-

mone non poſſe cognoſci vapores, & exhalationes, quantum neceſſe ad efficiendam pluviam, & cum aliunde oſtenderim dæmonem poſſe movere corpora, paſſim vero credatur à Dæmone excitari pluvias, & fulgura, & tempeſtates, non haberem fundamentùm hanc poteſtatem negandi Dæmoni, niſi aliæ obeſſent rationes. Quid hic vitii?

20 *Ergo, ergo ergo, Dæmon eſt bonus Philoſophus.*

℞ Sit Peripateticus, ſit Neotericus, ſit Plato, ſit Ariſtoteles, modo concedatis, ut debetis, eum, qui non intellectâ theſi, & notionibus alium oppugnat, non eſſe etiam *bonum Logicum.* Quod ut oſtendam, totam ſub oculis pono & meam theſim, & obiectiones veſtras.

Mea theſis hæc eſt: *Angelus, ut eſt ſubſtantia intellectiva, creata, ad laudandum Deum ex cognitione creaturarum, cognoſcit ſe, & alia, quæ, ibi enumero. Atqui Dæmon licet non amiſerit naturalem vim cognoſcendi, habet tamen intellectum totum abſorptum, & occupatum triſtitia, deſperatione, òdio DEI, et hominum, eſtque alligatus igni, & in ſtatu damnationis excludente omne bonum, adeoque etiam & cognitionem, quæ eſt bonum ſubſtantiæ rationalis.*

Ergo Dæmon non cognoſcit ea, quæ; cognoſcit Angel: ut eſt ſubſtantia intellectiva creata ad laudandum Deum ex cognitione creaturarum: Ergo ſine fundamento illi tribuitur ſingularis ſcientia: Ergo quomodo poteſt eſſe bonus Philoſophus, hoc eſt ſapiens talis, qualis naturaliter eſt Angelus liber ab omni impedimento. Facilius nodum in ſcirpo, quam vitium in hac argumentatione reperietis.

Veſtra vero argumentatio hæc eſt: 1. Angelus eſt ſubſtantia intellectiva, cognoſcens ea, quæ ibi enumero: ſed dæmon eſt Angelus: Ergo licet author dicat dæmonis vim cognoſcitivam impediri ſtatu damnationis, tamen aſſerit illum cognoſcere ea, quæ cognoſcit Angelus ut eſt ſubſtantia intellectiva, & creata ad laudandum Deum ex cognitione creaturarum.

2 Dæmon ex ſpeciali Dei permiſſione poſſet cognoſcere vapores, exhalationes, & ex illis, ſpectata natura ſua, & horum mixtorum videretur poſ- efficere pluvias, fulgura &c iuxta aliquorum etiam ſententiam, quam author non admittit, excluſit ſerpentes ex ovis in Ægypto: poſſet ex vaporibus in aere efformare ſpeciem vg. hominis, fecit bonum ſyllogiſmum: Ergo eſt bonus Philoſophus; idque talis, qualis eſt Angelus naturaliter dum liber eſt ab omni impedimento: neſcio an his argumentis probaretis dæmonem tam bonum ac homines eſſe Philoſophum, præſertim ſi rectè intelligatur notio Philoſophi.

LOCUS LIBRI

Pa: 317 n. 114. Non arbitror etiam Luciferum in inferno habere aliquam poteſtatem, & prælationem ſupra Diabolos, aut aliquod inter eos eſſe Regnum. Unde enim haberet imperium? non a Deo: Deus enim poteſtatem ad malum dare nequit: omnis autem poteſtas eſt a Deo, præcipue quod Diabolus propter dominandi cupiditatem inſaniit, in Deum. Igitur juſtitia exigebat ut deprimeretur, alioquin ex malitia ſua reportaret fructum, & non pænam. Non per ſubiugationem

(po-

(potius per vim) aliorum angelorum: nam pro maiori malitia ſtrictiori etiam carceri eſt incluſus. Præterea ibi regimen, & imperium eſſe nequit ubi ſubditi nec libertatem habent transferendi ſe ex loco in locum pro ſuo placito, nec acquirendi notitiam, nec congrediendi ſecum conſvetudine, nec conferendi conſilia. Diaboli non habent libertatem hanc niſi ex ſingulari permiſſione divinâ: non poſſunt illi huc, & illuc obambulare: nam ſunt conſtricti rudentibus inferni ut inquit S. Petrus. Non poſſunt colloqui, congredi, acquirere notitiam: nam iuxta S. Judam Apoſtolum ſunt reſervati ſub caligine in juditium magni diei. Sub qua caligine? non aeris huius: nam intellectus Angelicus omnes tenebras penetrat, noxque noſtra eſt illi lucida: itaque ſub caligine intellectus, hoc eſt ſub ignorantia, & incapacitate res cognoſcendi, & utendi lumine intellectus pro arbirrio. S. Scriptura facit quidem diſcrimen inter illum & alios diabolos. &c.

CENSURA

1. *Sententia hœc negans omnem prœlationem inter malos Angelos eſt contra S. Thom: p.1.q.109 a. 2 & contra Suareſium, nam Tract: de Angelis ubi L. 8. c. 21. n. 4 de Prœlatione inter dœmones agens; dicit: Et generatim loquendo de ſubordinatione inferiorum ad aliquem ſuperiorem principem poteſtatem habentem in eos, videtur certa de fide: quia eſt in ſacra Scriptura expreſſa: citatque pro hac ſententia non ſolum S. Scripturam, ſed etiam S. Hier: S. Chryſ: Origen: Gloſſam ordinariam, & n: 17 Dicendum ergo eſt hunc principatum dœmonis* fun-

fundatum quidem eſſe in natura ipſorum, conſummari autem, & compleri, partim ex communi conſenſu voluntario eorundem Angelorum, partim ex ordine divinæ ſapientiæ & Providentiæ. ℞. Eſtne ſcelus flammis dignum recedere a ſententia S. Thomæ cum hic inſtitutum ipſum permittat? & multo minus a ſententia ſuareſii? licuit vobis explicando verba Chriſti: *Si non veniſſem* &c. deficere à S. Auguſtino, Caryſoſt: Thomâ in gratiam Toleti: licuit vobis aſſerere audacter: *omnino falſum debuiſſe creari Angelos*, quamvis S. Thmas multis in locis et doceat, & probet: Licuit vobis affirmare: *a nemine, niſi forte ab Origene dæmonibus tribui cognitionem, & potentiam ad bonum faciendum,* cum tamen id doceat Suarez, aliique ſupra a me citati, cur mihi non licet aliquando deſerere opionem S. Thomæ, & Suareſii? præſertim, dum ſententiam judico probabiliorem? Quamvis vero dicat Suarez *videri rem certam de fide*, eſſe aliquam prælationem poteſtatis inter dæmones, modeſtior tamen ille erat; quam ut propter ſuum *videtur* dignos rogô judicaret eos, quibus aliter videretur. At vero de facto multis videtur tam non eſſe certum, & multo minus de fide, aliquem inter dæmones eſſe principem cum poteſtate, & juriſdictione in alios, quam non eſt certum, & non eſt de fide: quod inter Angelos in *cælo vera pugna commiſſa fuerat*, quod dæmones *veris rudentibus detracti* ſint de cælo: quod dæmon ſit *verus ſerpens. & verus draco*, qui *verâ caudâ* traxit *tertiam partem verarum ſtellarum*: quod *Aſmodæus veris vinculis religatus fuerit* in deſerto Ægypti: quod dæmon, *veris armis armatus cuſtodiat atrium ſuum, & pulſus ambulet per loca inaquoſa* Luc 11.

quod quærat, *ut vere aliquem devoret*: Licet hæc omnia non in Homero, Virgilio, aut Ovidio, ſed in ſacra Scriptura ſint expreſſa. Argumenta vero illorum hæc ſunt: principatus proprie dictus continet poteſtatem *directivam*, & *coactivam*: hanc vero poteſtatem dæmon unde haberet? an a natura, ut vult Suares? ergo etiam Angeli boni haberent imperium, & poteſtatem alii in alios, cuius tamen nullum in Scriptura veſtigium reperimus: nullibi enim legimus Angelum aliquem bonum poteſtate dominativà aut miſiſſe, præcepiſſe, aut compuliſſe alterum Angelum bonum ad ſibi obſequendum: an à Deo ſibi illam collatam haberet? aſt non eſt veroſimile a Deo eſſe poteſtatem, quæ tota tendit ad malum: *quæ ſunt à Deo ordinata ſunt. ad Rom*: 13. alias dæmon non obtemperando Lucipero deberet dici *reſiſtère Dei potèſtati*. Non obtinuit, iſtam poteſtatem liberâ electione, aut vi, & Tyrannica uſurpatione? quia hoc aſſerendi nullum habemus fundamentum. Imo credibilius illos, qui noluerunt ſubiici Deo, & Chriſtô, multominus voluiſſe ſe ſubiicere alicui Angelorum. Deinde non poteſt explicari, in quanam vi, aut qualitate naturali Angelo ex conditione ſtatus propriâ conſiſtat illa poteſtas *directiva*, & *coactiva*, præſertim cum illa ſupponat libertatem in ſubditis ſe ad mandata jubentis movendi, alios conveniendi, convocandi &c atqui hæc libertas non datur in dæmonibus: cum ſint captivi, & ligati tam quo ad potentiam intellectivam, quam etiam loco motivam. Sicut ergo ſubordinatio Angelorum bonorum conſiſtit in illuſtratione, ſvaſione, hortatû: Sic & ſubordinatio malorum

non

non conſiſtit in alio niſi in manifeſtatione voluntatis obfirmatæ in malo, & in perpetua reſolutioue, & aſſenſu malo dæmonum aliorum.

2 *Videtur res certa de fide: quia eſt in Sacra Scriptura expreſſa* ℟. Ergo etiam eſt de fide dæmonis proprium nomen eſſe *Beelzebub*, & *Aſmodæum*: ilium eſſe draconem verum, cum vera cauda, &c, vide ſupra. Chriſtus D. Math: c. 12 non aſſerit, neque docet Beelzebub eſſe Principem, ſed ſolum loquitur ex ſententia Judæorum illius ætatis exiſtimantium dari & principem, & Rempublicam, vel regnum inter dæmones. Cum enim Phariſæi v. 24 dixiſſent: *Non eiicit dæmones niſi in Beelzebub principe dæmoniorum*: Chriſtus hanc calumniam retundens reſpondit: *omne regnum diviſum contra ſe deſolabitur &c ſi in Beelzebub eiicio dæmonia &c.* quibus verbis ut refellat Judæos argumento ad hominem, dat ultro, quin probet aliquod inter dæmones eſſe regnum, aut aliquem Principem cum poteſtate directiva, & coactiva. Sicut ergo Chriſtus vocando dæmonem cum Judæis *Beelzebub* non voluit nobis revelare verum nomen illius: nam Beelzebub ſignificat *muſcam*, ſumptumque eſt ab idolo, quod colebant Philiſtæi: temporibus autem Tobiæ Princeps dæmonum creditus fuerat vocari *Aſmodæus*, nos vero illum ſine iactura fidei vocamus Luciperum, licet in Scriptura hoc nomen non legatur. Ergo etiam Chriſtus his verbis: *omne regnum* &c non ſuppoſuit dari verum regnum, ſed ſolum ſuppoſuit Judæos ſic exiſtimare. Dum vero inter Angelos S. Paulus & Petrus diſtinguunt Principatus, poteſtates, virtutes, dominationes 1,

Cor: 15. Ephe: 1, & 3. & 6. ad coloſ: 1. & 2. Et 1 Petri c. 3. loquuntur vel accomodando ſe ſententiæ ſuo tempore inter Judæos, & Gentiles vigenti, vel exprimendo imperium, quod non in ſe invicem, ſed in homines ſponte ſe dæmonibus ſubiicientes exercuerunt ante Chriſti adventum, vel denique per quandam ſimilitudinem: quod ſicut in rectè ordinata Republica omnes cum Principe conſpirent ad eundem finem, & alii aliis poteſtate præeminent; ſic & dæmones omnes conſpirant ad malum faciendum, atque alii alios malitia, & pænà ſuperant. Dartur ergo regnum, poteſtas, Principatus inter dæmones conſiſtens non in præeminentia authoritatis, juriſdictionis, & poteſtatis, ſed in conſenſione animorum perpetua, & obfirmata in omne malum, & de tali Principatu, ſcilicet malitiæ, intelligendi ſunt loqui SS. PP.

S. Thomas Comment: in prim: par: qu: 119 de Prælatione dæmonum docet quidem inter eos eſſe ordinem voluntarium, & politicum: At quid eſt POLITIKY, ſeu Politia, vel politica? eſt ars regendi. Quis vero eſt finis regiminis? *ſalus populi ſuprema lex* eſto, inquit Cicero de legibus. Rectius, & clarius S. Paulus 1 ad Tom. 2. *Ut ſub regibus, & omnibus in eminentia conſtitutis tranquillam, & quietam vitam ducant, cum omni pietate, & honeſtate.* Conveniuntne hæc dæmonibus? minime. Ergo nec illis convenit regimen, & ordo politicus. Idem S. Doctor ibidem hæc addit: *Cæterum hæc prælatio dæmonum inter ſe non eſt ex aliqua eorum amicitia, vel honeſtate, & benevolentia* (Suarezii tamen, & veſtra opinione eſt

ex

ex amicitia, & benevolentia: quia eſt ex electione, in qua dicitis dæmones perſeverare, & conſummatur voluntario conſenſu) *hoc enim ſenſu in inferno ſempiternus eſt horror, nec ullus ordo Iob* 10. (ſi nullus ordo, quomodo politicus?) *unde nec dæmonum concordia mereretur proprie nomen ordinis, ſed eſt ex ſola nequitia, & livore, & invidia adverſus DEUM, & homines, ut magis noceant nobis, divinæque Providentiæ effectus, quantum in ſe eſt, impediant* (quomodo ergo Principatus, dæmonis, & regnum conſummari poteſt, & compleri ordine divinæ ſapientiæ, & providentiæ; ut vultis, cum Suareſio? an permittendo? at quæ Deus permittit non poteſt dici *conſummare & complere*, alias peccata omnia *conſummare* & complere diceretur) *ſicut fere latrones, ſicarii, prœdones ſimul conveniunt ad furandum, & prædandum, ſicut etiam perduelles ad turbandam Rempublicam.* Hæc S. Thomas. Ex quibus ultimis verbis ſic arguo: Nullum eſt imperium, principatus nullus, inter latrones, fures, perduelles: quis enim aſſerere audebit Ducem & Principem latronum aut poſſe præcipere furta, homicidia, deprædationes, aut ſocios obligatos eſſe illi in hoc obtemperare: Ergo nullus eſt etiam Principatus, imperium, poteſtas inter dæmones. Audiamus Heineccium lib: 2. de Jure Nat: & Gent: §. 206 *Duplex eſt civitatum origo: aliæ enim ad vim aliis inferendam, opprimendosque innocentes, aliæ ad vim vi repellendam, civesque defendendos coaluerunt. Illarum finis injuſtiſſimus: harum iuſtus eſt: unde illas rectius latronum cœtum, has juſtas Reſpublicas dixeris,* Ergo Principatus dæmonum nec fundatur in na-

tura ipſorum Angelorum, nec in electione voluntaria, nec conſummatur, & completur communi conſenſû, & ordine Divinæ ſapientiæ, & Providentiæ, ut vult Suares: Neque enim divinam ſapientiam & Providentiam decet aut ordinare, aut confirmare, aut conſummare illam poteſtatem, in qua nihil eſt ordinatum, quæque tota tendit ad faciendum malum, alias dicere multo magis deberemus, cætus latronum conſummari, & compleri ordine Divinæ ſapientiæ, & Providentiæ.

3 *Ipſe author videtur ſententiæ ſuæ contradicere: nam* 1. *p.* 249 *habet juxta S. Joan: Apoc:* 12 *Draco deſignans Luciferum traxit caudâ) poſt ſe tertiam partem ſtellarum hoc eſt Angelorum.* ℞. Hæc verba *traxit caudâ* in ſcriptis ſæcularium, & multo minus Religioſorum tolerari non poſſunt, iuxta vos. Quod ſi dicatis: vos omiſiſſe vocem *cauda*: & quis poteſt tolerare tantam S. Scripturæ corruptionem? *an verbum Dei erubeſcitis*? Deinde: quod eſt iſtud monſtrum dracone ipſo horribilius ratiocinationis? Traxit *caudâ tertiam partem ſtellarum* ergo eſt *caput Angelorum*: a cauda, præſertim dæmonis, magna eſt diſtantia ad *caput*, Si mihi liberet ſoliditate argumentationis certare vobiſcum reſponderem: Dæmon nec eſt verus draco, nec habet veram caudam, & Angeli non ſunt veræ ſtellæ: ergo dæmon non eſt verus dux, & Princeps dæmonum. Traxit ergo eos *exemplo*, non vero *imperio & iuriſdictione*, aut *vi*.

4 *Atqui traxit non invitos: ergo volentes & conſentientes: ergo ex ſenſu rebellium Angelorum lucifer fuit dux* eorum: ℞. Qui ſcandalum

præ-

præbet trahit alios, & trahit non *invitos*, ſed *conſentientes.* Ergo ſcandalum præbens eſt *Dux* eorum cum *poteſtate & iuriſdictione.* Tam porrentoſis argumentationibus omnes a ſtudio Philoſophiæ, & Theologiæ deterrebitis. Nam melior eſt cibus ordinarius, & vilis cum ſale, quam exquiſitus ſine illo. Nonne quotidie videmus ineptiente uno puero ineptire & alios, conſcendente uno arundinem longam, equitare & ſocios eius: quid vero fieret, ſi author harum ineptiarum arrogaret ſibi imperium, & principatum in alios? caſtigaretur virga: Videte ergo quid meretur etiam iſtud argumentum; *Traxit ad peccatum.* ergo eſt verus Princeps cum poteſtate directiva & coactiva?

5 *Quodſi autem tum fuit, etiam nunc eſt quia Angeli in electione ſemel facta perſeverant, nec poſſunt eam commutare, quod aſſerit non ſolum Suarez L.c. n.17 ſed etiam author p. 275. R* hoc argumentum laborat ſuppoſito. Supponit enim Angelos elegiſſe ſibi ducem Luciperum, eique ſe ſubieciſſe: at quando, & ubi convocata ſunt comitia electionis dicite ſi noſtis? omniumne dæmonum, an plurium ſolum ſuffragiis adeptus eſt hunc magiſtratum? Num Deus non irritavit, ut potuit, electionem? quodſi hoc nullis tabulis probatis, ſinite me credere dæmonem nec peccando factum Principem niſi malitiâ, idque factum a ſeipſo, nec poſt peccatum manere principem niſi obſtinatione, & graviore pænâ.

6 *Pag: 266 2. 10 Author: Iſa: c. 14 ſub figura Regis Babilonis ita dicit de Lucifero: Detracta eſt ad inferos ſuperbia tua: Aſt cur hoc ſingulariter*

de

de Lucifero? niſi quod ſit Princeps rebellium Angelorum. ℞. Princeps ſuperbiâ, & malitia; & exemplo pravo C. Poteſtate, & imperio N.

7 *P. 267 Inducitur S. Bernardus alloquens Luciferum: quæ dementia potius eligere miſere dominari, quam feliciter ſubeſſe. Non igitur Lucifer tulit fructum ſuperbiæ ſuæ alium, quam ut miſere dominareter.* ℞. Unde hoc vobis aut quod Lucifer voluerit dominari aliis Angelis, aut ſi voluiſſet, quod alii angeli, qui Deo, & Chriſto ſervire noluerunt, ſe illi ſubieciſſent? quomodo hæc abſurda conciliabitis? unde quoque vobis S. Bernardum loqui de *dominio ſupra alios Angelos?* Angeli voluerunt eſſe caput, & Dii hominum, non vero Angelorum, lege p. 268. Deinde verba S. Bernardi adduxi, ut probarem: Angelos peccaſſe ſuperbiâ. An vero Luciper habeat Principatum aliquem, & imperium, non ibi examino, ſed infra, ſcilicet p. 317. Ergo etiamſi S. Bernardus intellexiſſet de dominatu ſupra alios Angelos, quid haberetis, quod reprehenderetis? Neque enim citando ſententiam alicuius ad confirmandum aliquod argumentum cenſeri poteſt approbare author omnia, quæ in illa ſententia continentur: præſertim ſi aut prius, aut poſtea doceat contrarium. Quæro denique ex vobis: rectane eſt iſta illatio: S. Bernardus dicit dæmonem elegiſſe potius miſere dominari: ergo dæmon actu dominatur? Nunquid Deus tenebatur approbare eius electionem? Dæmon voluit eſſe *beatus, & ſperabat ſe feliciorem futurum* Deo reſiſtendo: voluit ſimilis eſſe Deo Jſaiæ cap: 14. *occupare thronum Dei* c. 28 *devorare filium*

mu-

mulieris Apoc: 12 Rectene inferes: ergo dæmon eſt *factus, ſimilis DEO, occupat thronum Dei, devoravit filium mulieris?* Nec hôc vos latere poteſt oratorie dici a S. Bernardo dum ait: *elegit miſere dominari.* Subſtantia enim rationalis *neceſſario appetit beatitudinem*, nec voluntas poteſt eligere malum, & miſeriam ut eſt miſeria, ſed ſub ratione aliqua boni: Ergo dum dicitur dæmonem elegiſſe miſere dominari, intelligendum eſt de *pœna malæ electionis*, non de *obiecto illius*: Dæmon enim *miſer eſſe* non elegit, *ſed beatus.* Quia vero hanc beatitudinem voluit obtinere ſuperbiendo, & inobediendo Deo, ideo factus eſt miſer.

8 *P. 269 & 333 Diaboli in delubris cultum divinum a maiore parte hominum recipiebant, neque tamen hinc poteſt inferri: eos ſuperbiæ ſuæ tuliſſe potius præmium, quam pœnam: pariter itaque licet Lucifer ſit Dux rebellium Angelorum, tamen non tulit ſuperbiæ ſuæ præmium, ſed pœnam.* ℞. 1. Quod dæmones in delubris colebantur conſtat id nobis tum ex Scriptura S. *omnes Dii gentium dæmonia*, tum ex SS. PP. qui paſſim dicunt in *idolis dæmones cultum ſibi exegiſſe*, tum ex monumentis hiſtoriæ: Luciperum autem habere aliquam poteſtatem in Angelos nullo ſolido, ut oſtendi, probatur argumento. 2. Cultum dæmonibus homines ſponte exhibebant, non vero dæmones eum imperiô extorſerunt, neque Deus illum cultum approbavit: iam vero ſi Luciper haberet poteſtatem, illa poteſtas debuiſſet aut a Deo proficiſci, aut confirmari, cum iuxra S. Paulum *omnis poteſtas ſit a Deo* 3 iuſtitia exigit, ut qui gravius deliquit, gravius quoque plectatur, atqui Luciper

gravi-

gravius deliquit aliis dæmonibus; Ergo & gravius plecti debuit. Porro non plecteretur gravius: quia ille præeſſet, alii autem dæmones ſubeſſent. Præeſſe autem iuxta noſtrum modum concipiendi in omni ſtatu etiam inter latrones eſt aliqua excellentia, quæ tribuitur aut meritis aut capacitati & robori. 4 *Licet & Scripturæ & SS. Patrum modô loquendi* nos accommodando dicere ſoleamus: *in idolis dæmones fuiſſe cultos.* quô tamen ſenſû id intelligi debeat multa, ſi vacaret, aut res exigeret, dicere poſſem, palamque facerem. licet ex cultu idolorum inferri poſſit peccatum Angelorum fuiſſe *ſuperbiam, & deſiderium dominandi hominibus*, tamen ex eodem cultu nequaquam poſſe inferri dæmones retuliſſe fructum ſuperbiæ ſuæ.

9 *P, 346 dicit: Si quilibet habet tentatorem (Diabolum) habet illum deſignatum non a Deo, ſed a Principe dæmonum: ergo iuxta ſententiam authoris datur Princeps inter diabolos eiuſque imperium in cæteros* ℞. habet tentatorem a Pricipe dæmonum deſignatum *imperio, & ſummâ poteſtate* N. deſignatum *conſiliô ſuaſû, hortatû* & communi conſenſû *Tr*: Vide iam, quam accomoda eſt tua illatio: Dum author utitur communi modo loquendi verba illius debent accipi in eo ſenſu, in quo ille agens ex inſtituto docet illa eſſe accipienda: Atqui ego agens ex inſtituto de poteſtate dæmonis doceo: Principem illum non eſſe imperiô, & poteſtate: calumniatur ergo, non argumentatur, qui alium ſenſum tribuit authori, dicitque: ab authore dæmoni tribui verum principatum eo, quod communi phraſi utendo vocet eum

Prin-

Principem. Nunquid non quotidie in Symbolo profiteris filium Dei *deſcendiſſe de cælis*? Eſſetne homo ſanæ mentis, qui te Theologum poſtulat et ad rogum condemnari: propterea, quaſi crederes, & doceres *deſcenſu locali* filium Dei in terras veniſſe?

10 *Dum author dicit hoc loco: Diabolum non poſſe acquirere notitiam, eſſe ſub caligine ignorantiæ, & incapacitatis res cognoſcendi, & utendi, lumine intellectus, videtur ſibi contradicere iuxta dicta ad pa: 268 Itaque dicta a n. 114 ad n. 115 eliminanda erant* ℟. Potius non ferenda erat cenſura, niſi re bene examinatâ, & exploratô ſenſu interpretum, & Theologorum. Nam ibi Author non ſolum non dicit dæmonem poſſe acquirere ſcientiam, ſed etiam probat vim illius cognoſcendi impediri ſtatu damnationis, & quæcunque cognoſcit, cognoſcere ſolum ex ſingulari Dei permiſſione. Ergo non ſolum ſibi non contradicit, ſed etiam roborat, quæ dixit ſuperius. *Lege præcedentes reſponſiones.*

LOCUS LIBRI

Pag: 330 v. 5 Chriſtus eſt palmes, ſunt etiam & fideles, quia ſunt rami eius.

CENSURA

In Evangelio habetur ego ſum vitis vos palmites: ℟. Hic error corrigeretur inter errata, quæ adiicienda erant ad ſecundum volumen, ut & ille p. 197 v. 4 ubi loco 185 poſita ſunt 85 millia cæſorum

mi-

militum Senna cheribi ab Angelo, & alii errores, vel calami, vel typi quineſcio. quo fato tam intentam in omnia, videntemque ea etiam, quæ non ſunt, aciem fugerint Authoris, qui vocatur *Videtur*.

LOCUS LIBRI

Pag: 357 v. 7 non ſubiacebant huic concupiſcentiæ primi Parentes noſtri, non ſubiaceremus & nos ipſi, ſi illi non peccaſſent.

CENSURA

Addendum erat ante peccatum: ne putet aliquis etiam poſt peccatum primos Parentes liberos fuiſſe a concupiſcentia. ℞. Nemo id putabit, niſi is, qui ex una lineola de toto libro judicat. An non deſcriptô ſtatû innocentiæ primorum Parentum ſimul adiungo deſcriptionem ſtatus eorundem poſt peccatum? lege reliqua uſq; ad n. 126 Quid eſt quod dico: p. 358 v. 4. *Primos Parentes ſpoliatos propter peccatum gratiâ cœpiſſe res & cognoſcere, & concupiſcere* in ordinate? An non ſatis etiam exprimo primos Parentes eidem concupiſcentiæ poſt peccatum obnoxios fuiſſe dum addo: *His morbus propriâ voluntate contractus infecit omnes eorum poſteros, eo modo fere, quo ex radice corrupta fructus prodeunt vitiati, è fonte venenato rivuli profluunt venenati: ex patre podagrâ laborante aut aliô morbo filii naſcuntur iiſdem morbis obnoxii.* Deinde: quamvis hæc non addidiſſem, quæ vultis, & quæ addidi; quid vitii admiſiſſem? Eſtne neceſſe Scriptores tam eſſe religioſos, ut lectores notiſſimarum rerum repetitione enecent? An quoties concionatores, Theologi, aliique dicunt: vel primos

mos Parentes in ſtatu innocentiæ non fuiſſe obnoxios morti, & concupiſcentiæ, vel dum dicunt nos eiſdem eſſe obnoxios ſtatim addere debent, at poſt peccatum fuiſſe utrique pænæ obnoxios? Ergo poſthac quoties aut miſſam celebrando, aut aliis audientibus recitabitis in Symbolo hæc verba: *Sedet ad dexteram Patris* ſtatim clamate, & explicate quid per hæc verba intelligatis, ne quis putet a vobis Deo tribui & *veram dexteram, & verum corpus.* Ego vero Patrum recitandi morem retinebo.

LOCUS LIBRI

Pag: 358 n. 126 Hinc poſſumus rationem reddere: & p. 359 v. 7. Cur in Italia Gallia & aliis regionibus in quibus labore, & aliis occupationibus deſtinentur homines, vino modico pro potu utuntur, aut parum ſciunt, aut prorſus ignorant veneficia: in ſeptemtrionis autem frigidis regionibus, pro ut in Laponia &c, ubi cereviſia lupulo, large condita præbet potum, ubi cibis victitant, qui non facile digeri poſſunt, fabis nempe, piſô, pane cibario, carne ſuillâ ut in Veſtphalia, Mecklenburgo &c exempla frequentia terrorum (vertendum erat ſpectrorum) ſagarum, & aliarum Diaboli illuſionum, & tentationum inveniuntur. Diabolus namque ut pote naturaliter agens non ſemper invenit diſpoſitionem in corpore: hinc ſagæ antequam quidquam faciant ope diaboli primo præparant ſanguinem, & humores inungendo plantas pedum, volas manuum, & tempora unguento ſomnum conciliante. p, 360 Hoc ungventum componitur ex quibuſdam herbis, & unguen-

tis

tis ſomnum provocan ibus qualia ſunt: Mandragora, hyoſciamus, lolium, cicuta, periſon, humor certius ex taxo, adeps liquatus ex vulpe, ſuccus expreſſus ex papavere. Hoc unguento delinitæ altiſſimo ſomno opprimuntur quo durante poteſt diabolus varias imagines cxhibere eo modo commovendo ſenſus, & humores, quo moverent res ipſæ. Eodem tempore poteſt ſuggerere eis modos nocendi hominibus.

CENSURA & RESPONSIO

I *Videtur hôc loco author ſupponere: 1mo in Italia, Gallia, aliisque Regionibus, aut prorſus non eſſe pauperes, otioſos, vino deditos, cibis aggreſtibus utentes* ℞, Jam ut video huic authori, qui vocatur *videtur* oculi caligant etiam in ſole. Quis negavit ubique eſſe pauperes? & præcipue quis negavit ubique eſſe, qui cibis *aggreſtibus* utantur? An non iiis etiam ditiſſimi quique, & delicatiſſimi utuntur hominum? *Agreſtis enim cibus eſt* qui ex agro, non ex horto provenit. Certe frumentum non in hortis, ſed in agris & ſeritur, & colligitur. Sunt ergo ubique pauperes, ſed non ubique aut eodem, aut tam craſſo, & noxio cibo, & potu utuntur, nec eoſdem in iis abuſus faciunt. Quis Romæ &c. bibit cereviſiam? Eſtne in Italia, Gallia &c uſus tam frequens ſuillæ carnis ſalſæ, & fumigatæ, cremati, braſſicæ acidæ, aliorumque leguminum, panis aut avenacei, aut è ſiligine craſſi cum furfuribus, & paleis, ac in Germania, Polonia, Moſchovia &c; Quid vero dicam de abuſu? Notiora hæc ſunt, quam ut etiam pueris probari debeant. Legite Geographos, Hiſtoricos,

itine-

Itineraria variorum, Epiſtolas Miſſionariorum Lafiteau de moribus Nationum incultarum. Aut ſi hoc operoſum leg te Barclai Satiricon. Vel ſi & id piget: ſaltem dum prodibitis recreandi animi cauſa obſervate peregrinos Romam ex variis regionibus confluentes: hi vobis aliquando æquè jucundum ſpectaculum exhibebunt, ac magnifica urbis ornamenta.

2 *Ac proinde tales, in quorum corporibus diabolus non inveniat diſpoſitiones ad eos tentandos, aut admodum paucos, idque pauciores, quam in aliis regionibus.* Id autem non poteſt probari. ℟. Non poteſt probari, quia tam clarum ac ſol eſt. Omnes homines obnoxii ſunt tentationibus: quia omnes obnoxii ſunt concupiſcentiæ, & portant peccatum in corpore ſuo: Alii tamen maioribus, alii minoribus; hæcque diverſitas ſæpe numero oritur aut ex complexione corporis, victu, amictu, commertio, & conſvetudine cum aliis, occupationibus, genere vitæ, aut ex permiſſione Dei: ſicut ergo ſinguli homines indole, conſtitutione, corporis, victû, amictû, convictû, educatione, moribus, diſcrepant; ſic & ſingulæ nationes: & ſicut ſinguli homines maiorem alii aliis præbent occaſionem tentandi dæmoni, ſic & ſingulæ nationes, præſertim ad certa vitia. Negabisne diabolum invenire in Polonis, Germanis, Belgis, Moſchis &c maiores diſpoſitiones ad ebrietatem, & gulam, ac in Jtalis, Gallis, Hiſpanis &c? in his vero maiorem diſpoſitionem ad alia vitia, quam in illis? lege vel hæc duo Epigrammata.

Tres ſunt convivæ Germanus, Flander, & Anglus

Dic quis edat melius? quis meliusve bibat

Non comedis Germane bibis : tu non bibis Angle

Sed comedis, comedis Flandre bibisque bene:

ET JLLUD (*Scaliger*

Cur Hiſpane bibam? quæris: vah garrule neſcis

Quam graviter ſitiam, quis ferat ergo ſitim?

Ut me dulce merum, ſic te Venus improba vexat:

Lex Veneri poſita eſt Julia, nulla mero.

Hæc licet indefinite, & generatim de tota natione dicantur, non tamen intelliguntur dici de omnibus, & ſingulis, ſed aut de potiori parte nationis, quam vulgus conſtituit, aut de eo quod frequentius in una, quam in alia natione obſervatur, & contingit.

3 *Illæ Perſonæ, de quibus Author p. 70. 73. 75. 76 quæ putabantur obſeſſæ a Diabolo vere habebant diſpoſitiones in corpore ſuo etiam iuxta ſententiam authorum ad tentationes Diaboli: patiebantur enim terrores, & tamen erant natæ, & nutritæ in Gallia. Dum ergo ab his diſpoſitionibus excipit Gallos ſibi ipſi videtur contradicere.* ℞. Imo ille oculis ſuis coutradicit, qui legit in aliquo libro, quod in illo non reperitur. Ubi enim author excepit Gallos, aut Italos, aut ullum hominem a diſpoſitionibus ad tentationes? hoc ne pueri quidem feciſſent, qui callent doctrinam chriſtianam. In hoc loco reddo rationem: *cur aliqui maioribus obnoxii ſint tentationibus, & præſertim extraordina-*

nariis qualeſ ſunt illuſiones ſagarum: nec dico: nullum in Gallia his etiam eſſe obnoxium, ſed pauciores. Quæ vero ſunt iſtæ ratiocinationes. 1. *In Gallia aliquæ Perſonæ putabantur eſſe obſeſſæ: Ergo habuerunt particulares diſpoſitiones ad tentationes.* Rarumne quod Perſonæ ſanæ & fingant ſe eſſe obſeſſas, & putentur? 2. *Aliquæ Perſonæ putabantur eſſe obſeſſæ in Gallia: Ergo omnes Galli &c aut potior eorum pars habuit diſpoſitiones ad extraordinarias tentationes, ad quales habent in aliis rationibus,* Cur non infers quoque ſic: Aliquæ Perſonæ aut putabantur, aut vere fuerunt obseſſæ in Gallia, Italia &c: Ergo & omnes Galli &c vel ſunt, vel putantur eſſe obſeſſi, aut ſaltem potior pars eorum? 3. Qui ſunt iſti authores, juxta quorum ſententiam dicis eas Perſonas obnoxias fuiſſe extraordinariis tentationibus, quæ putabantur eſſe obſeſſæ? nam ego necdum incidi in tam acute ratiocinantem *Putabantur obſeſſæ: ergo obnoxiæ fuerunt extraordinariis tentationibus*, 4 Digna ne etiam eſſet Theologis iſta argumentatio *in Gallia fuerunt a dæmone obſeſſi*: ergo Gallica natio habet diſpoſitiones ad tentationes extraordinarias, & illuſiones proprias ſagis æque ac aliæ nationes: Idemne eſt eſſe obſeſſum, ac veneficum, ac habere diſpoſitiones ad illuſiones ſagarum? obſideri quis poteſt abſq; culpa permittente Deo ad experimentum virtutis: hinc viros probos, & pueros legimus fuiſſe obſeſſos. Veneficus autem nemo poteſt eſſe ſine ſuo conſenſu, & ſuâ malitiâ. Sed demus requiri diſpoſitiones extraordinarias in corporibus arreptitiorum: cum obſeſſio duret ordinarie longiore tempore

etiam

etiam diſpoſitiones in corpore deberent eſſe permanentes, quod rarum eſt. Jlluſio autem veneficorum eſt quaſi pertranſiens: Ergo & diſpoſitiones ad illas ſufficiunt tranſeuntes hæ autem poſſunt provenire & defacto proveniunt a modo vivendi: ſufficit enim liquore fortiore concitare ſanguinem, & ſpiritus animales, aut craſſiore, & largiore cibô reddere chylum denſiorem, &c. Ergo aliæ diſpoſitiones requiruntur in obſeſſis, aliæ in veneficis. Ergo ex eo quod aliqui habuerint diſpoſitiones ad id, ut obſiderentur a dæmone, non ſequitur quod aut illi ipſi, & multominus eiuſdem nationis homines, habeant diſpoſitiones ad alias dæmonis extraordinarias tentationes, & illuſiones, æque ac homines aliarum nationum. Chinenſes non ſunt obnoxii podagræ, Iſchiadi, calculo. Arabes infecerunt circa ſæculum 7m Europam variolis, hic morbus in America multo, funeſtiores edit ſtrages. Noti ſunt medicis, licet non omnibus nationibus, morbi *plica Polonica*, *morbus Pariſinus*, *peſtis Siammenſis*, quæ etiam Anglos infecit: cum in eorum regione graſſaretur exteros ibidem commorantea non attingebat, natos vero in Anglia, etiam in aliis regionibus tum exiſtentes, miſere enecabat. Hæc & infinitâ alia, quæ poſſem producere exempla oſtendunt ad oculum: quam diverſæ in diverſis nationibus ſint diſpoſitiones tam ad morbos corporis, quam etiam animi.

4 3*tio Plurima exempla Magorum, & Sagarum, quæ adducit author ex Maiolo, Delrio, Trino Magico, Bodino, de Lancre a p 132 ad p. 179 ſunt de Gallis, Italis, Hiſpanis, quomodo igitur verum eſt quod in his regionibus aut parum ſciant, aut prorſus ignorent veneficia? Imo refert author ex Bodino p. 133 quod Magi Galli ponant inter pedes ſcopas & aliquas voces murmurando illico volent. Magos autem Italos caper expectet ad ianuam, ut eos transferat ad locum Diabolici convivii, P. 138 refert cantum ſagarum ad Logni. p. 137 in Annota: v. 4 refert cantum ſagarum Hiſpaniæ. Et quamvis hæc omnia cenſeat author p. 139 eſſe figmenta inſanæ mentis, tamen negari non poteſt fuiſſe in illis hominibus diſpoſitionem corporis ad tentationes diaboli, & paſſos eſſe terrores.* ℞. Quæ eſt iſta iterum ratiocinatio? in Gallia, Italia &c. aut fuerunt venefici, aut habuerunt aliqui diſpoſitiones ad veneficia: ergo ibidem tot fuerunt, quot in aliis regionibus? Neque enim nego fuiſſe in his regionibus, qui credebantur fuiſſe venefici, ſed nego ſolum tam multos fuiſſe ac in aliis regionibus. Si citati authores impleverunt volumina exemplis ſagarum Galliæ, Italiæ &c, aliarum regionum exemplis impleſſent bibliothecas. 2 Ipſi fatemini adducta ab authoribus exempla haberi a me pro figmentis inſanæ mentis: quomodo ergo inferre audetis ex his exemplis: eſſe in Gallia, Italia &c. homines habentes diſpoſitiones ad veneficia, præſertim tantas, ac in aliis regionibus? An ex figmento inſanæ mentis poteſt erui, & probari verum? En veſtra argumenta: figmenta ſunt, quæ narrantur de ſa-

 gis

gis Hiſpaniæ, Galliæ, Italiæ: Ergo iſtæ Nationes habent veras diſpoſitiones ad veneficia, & illuſiones ſagarum, idque æquales ac aliæ Nationes. 2 Juxta authorem figmenta ſunt quæ narrantur de ſagis Hiſpaniæ, Galliæ, Italiæ, ergo author ſibi contradicit, dum excipit Gallos, Italos a diſpoſitionibus ad operationes ſagarum, quæ figmenta eſſe docet. Neſcio an ſolidiores probationes ad condemnandum authorem ipſum ad rogum fingi poſſent. 3 Exempla, quæ citati authores referunt, ſunt antiqua, ego vero loquor de modernis Gallis &c Quis autem ignorat ut tempora, ita & mores Nationum mutari? Teſte Scholiaſte in Theocri: Idyll: 14 18. *Romani tot in conviviis cyathos hauſere quot eſſent in Imperatorum, amicorum, amicarumque nominibus literæ, imo tot, quot alicui precabantur annos. Ovid: 3 Faſt: Fulv: Urſin: de Triclin:* Horatius in honorem charitum tres, inque muſarum novem pocula poſcit: quis vero dicere audebit Romanos etiammum hodie eſſe tales gurgites, & helluones. Initio huius ſæculi ſeptemtrio barbaras gentes inter anumerabatur, nunc cultû & gloria exæquat cultiſſimas. In aliis regionibus vix è vulgo aliqui reperientur, qui credant narrationibus de ſagis, & ſpectris; in aliis vero non vulgus ſolum, ſed eruditi plerique pro veritate earum, tanquam pro aris, & focis decertant. Novi, qui hæc præiudicia non exuerunt niſi mutatô cælô: Neque vellem iurare neminem inter vos exiſtere, qui nunc Romæ agens non rideat credulitatem Patriæ ſuæ, quam domi, & ſuſpiciebat, & defendebat. 4 Non capio iſtam quoque ratiocinationem: *Erant ſagæ, habebant diſpoſitiones ad*

ex-

extraordinarias tentationes, & illuſiones: quia patiebantur terrores. Ergo omnes tu fæminas in unum faſcem colligatas rogo iniice tanquam veneficas: quia omnes ordinarie ſunt meticuloſæ, *& terrores patiuntur.* Male vertit interpres, ſed peius adhuc, neſcio quis, argumentatur. *Strachy* enim in noſtra lingva non ſignificat timorem, aut terrorem, ſed ſpectra, quæ infeſtare, & terrere creduntur, aut vitia, quæ originem ſuam turbatæ imaginationi debent.

CENSURA 2.

Secunda narratio de ſagis, quas partes corporis, & quo inungant eſt doctrina, quod vulgo tradit author, ut plurimæ fæminæ curioſæ, vanæ, iratæ fiant ſagæ ℞. Vobis ſolis ſic argumentari licet: Ego vero damnarer ad rogum. Quis enim non videt hoc argumento ipſam peti Religionem, dum condemnatur diſciplina, & inſtitutio, quibus illa ſuſtentatur, & propagatur. Sunt enim homines, qui abutuntur ſacramentis, myſteriis fidei, ipſaque Dei notitia. Sunt, qui argumentis è Bellarmino, aliiſque dogmatum Religionis propugnatoribus petitis impugnant Religionem: Ergo judicio veſtro nullus docere debet: & qui docuerunt, debent ad rogum condemnari. Certe zelus hic veſter tantum prodeſt Religioni, quantum edictum Juliani ſcholas Chriſtianis interdicentis. Si vobis fæminæ tam videntur pronæ ad malum prohibete nuptias: nam iratæ, & vanæ mulieres aut ferro, aut veneno tollunt maritos. Legite reſponſionis pag: 60. Deinde & vulgus, & fæminæ & legunt hæc in libris Gallicis, Ger-

manicis, Polonicis, & audiunt narrari ab aliis: Ergo mea narratio ad hoc ſervit, ne iis utantur, quæ ab aliis tanquam efficaciſſima prædicantur ad miros, & inſolitos effectus præſtandos.

CENSURA 3.

1 *Dixerat author p 280 amiſiſſe Diabolos aptitudinem utendi vi intellectus? Et p. 317 eſſe eos ſub caligine intellectus, ſub ignorantia, & incapacitate res cognoſcendi. & utendi lumine intellectus. Quomodo igitur verum eſt quod hic dicit: poſſe diabolos varias imagines exhibere, ſuggerere modos nocendi hominibus. Videtur igitur hoc loco author iterum ſibi contradicere.* ℞ Laſſus ſum pugnando cum hoc authore *videtur.* Inter habere potentiam, & habere capacitatem, quantum eſt diſcrimen, non ſolum notum eſt Theologis, ſed & pueris. Infantes, & delirantes habent potentiam etiam philoſophandi, ſed non habent capacitatem: ſic dæmones ſemper, ut dixi, habent eandem potentiam, quam habuerunt ante damnationem, ſed non habent capacitatem, & facultatem eâ utendi. Quæ autem eſt tua vir religioſe fides, dicere quod valet ad oppugnandum, & reticere, quod ſervit ad defendendum? Dicendo dæmonem per damnationem amiſiſſe capacitatem, an non adieci: *Hinc ſi dæmon aliqua cognovit, prædixit, fecit, actum hoc eſt ex ſingulari Dei permiſſione.* Ergo & hic debes intelligere iſtam permiſſionem, ſine qua non ſolum ſuggerere modos nocendi, ſed ne tentare quidem poteſt, de qua tamen tentatione in hoc loco diſſero.

2 *Be-*

2 *Delenda igitur erat iſta Nationum expreſſio, & ratio deſumpta tum a diverſitate cibi, &c tum climatis, ac doctrinæ, & occupationis, quæque ſimul dedecore illorum ætatem notarunt, multiſque damnationis æternæ cauſa fuerunt.* ℟. Nec legi, nec vidi, nec legam videboque tam religioſos, & humanos ac vos eſtis? cur iſta delenda? An probaſtis a diverſitate climatis & ciborum non oriri diverſas diſpoſitiones in corporibus? an probaſtis, quod dæmon, ut cauſa naturalis, agat independenter a diſpoſitionibus, quas in corporibus reperit? an probaſtis omnes nationes, æque eſſe cultas, eodem cibô, amictû, habitatione, potu, iiſdem moribus, & eodem cælo uti? ſi vobis hæc, quæ ſcripſi de diſcrimine inter Nationes delenda videndur, comburite ergo omnes Hiſtoricos, Geografos, Poetas &c, nam hi ſingularum Nationum non verentur deſcribere & cælum, & victum, & amictum, & indolem, & vitia, & ſuperſtitiones: præſertim vero comburite eos Scriptores, qui narrant: Romanos ut amplitudine, & gloriâ imperii, ſic ſuperſtitione omnes olim gentes ſuperaſſe: nam *hæc illis cauſa extiterunt damnationis æternæ, & dedecore notant illorum ætatem*. atque quod peius eſt, modernis incolis Italiæ occaſionem præbere poſſunt idololatriæ, turpe exiſtimantibus ab eorum religione receſſiſſe, quorum gloriæ participes eſſe optarent: imo poſſent aliqui exiſtimare Religionem chriſtianam cauſam extitiſſe ruinæ imperii illius, quod maiores eorum pietate præcipuè erga infinitos prope Deos promeruerant. Et ſi vero hæc perficeretis, veſtra religio, & zelus, non careret fortaſſe merito, at careret fructu: Pruriunt enim

ho-

hominibus & manus ad ſcribendum, & lingva ad narrandum. Erunt ſemper, qui & legent, & lecta, viſaque vulgabunt vitia, & mores nationum: imo & privatorum, idque eo fine, ne quod extitit cauſa damnationis maioribus, exiſtat & poſteris eorum.

Complectamur paucis & meas aſſertiones, & veſtras obiectiones: meæ aſſertiones ſunt hæ 1. *Quod aliquæ perſonæ obnoxiæ ſunt majoribus tentationibus & illuſionibus dæmonis dependet ſæpe a diſpoſitionibus corporum diverſis.* 2 In Gallia, Italia &c, pauciora ſunt exempla ſagarum, ſpectrorum, viſorum ac in aliis regionibus: quia non tam craſſo cibo & potu utuntur Itali, Galli &c: nec eoſdem in eis abuſus faciunt, ac homines aliarum regionum.

Vos vero quid contra opponitis? *In Gallia &c etiam ſunt Perſonæ obnoxiæ tentationibus*: Concedo. *Ibidem extant exempla Sagarum, arreptitiorum*: Concedo. *ibidem ſunt etiam pauperes, Otioſi*: *Concedo* Quid inde infertis? Quid hæretis? audete: Ut me impugnetis inferre debetis: *ergo in Gallia, & Italia &c. totidem ſunt exempla ſagarum, & arreptitiorum, eodem ibidem* cibô, potû, *& eâdem moderatione utuntur &c, ac in aliis regionibus.* Sed hæc vobis negaret, vel qui tantillum verſatus eſt in Geografia.

LOCUS LIBRI Pag: 362 n. 129.

Cum Deus hominni reliquerit voluntatem liberam, quam ne ipſe quidem unquam vult violare, ſequitur: Diabolos nec ſemper, nec in omnibus rebus, nec ita, ut poſſent, fallendi homines habere

pote-

poteſtatem &c. p. 363 a v, 4 Atque hinc cognoſcere poſſumus vanitatem modorum, quibus nonnulli æque ſtupidi, ac impii, uti ſolent aut ad detegendas cogitationes, & deſideria aliarum Perſonarum, aut ad conciliandum amorem mulierum, vel virorum, aut ad explorandam fidem coniugum aut ad alios ſimiles effectus. Unde enim hæc media effectum haberent? an a Diabolo? At ſi Diabolus eſſet dominus noſtræ voluntatis, aut ſi ei liceret ad nutum eſſe impiorum, præſtaret eis ſua ſervitia libenter ſine herbis, potionibus, ac aliis monſtroſis ritibus, quibus in hunc finem utuntur. An a natura? ad convincendum p. 364 quemlibet de eorum inefficacia, ſufficit ea oculis exhibere talia, qualia ſunt in ſuo eſſe. Vis expiſcari cogitationes & deſideria & ſecreta præſertim a mulieribus? cor columbæ, & caput ranæ ſiccata contere in pulverem ſupra ventrem dormientis, dicetque tibi omnia cordis arcana. Cum autem dixerit amove ea quam primum, ne evigilet *les Admirables ſecrets d'Albert le Grand L. 2. p. 145* (In reliquis citationes Authorum hic brevitatis cauſa omittentur) aut ranæ miſſæ in aquam linguam extractam pone ſupra cor dormientis fæminæ, aut cor bufonis in ſiniſtra illius mamma, aut cor merulæ, aut cor & pedem dextrum noctuæ ſuppone capiti, aut lapidem *Quirim*, qui invenitur in nidis upuparum, pone ſupra caput dormientium qualiumcunque Perſonarum, interrogatæ clarâ voce reſpondebunt. Tenendo lapidem nigrum *beratides* dictum, ſcies quæ alius cogitat P. 365. In Æthiopia, iuxta Diodorum ſiculum fuerat fôns, ex quo bibens aquam nihil reticere pote-

te-

terat, *Vis* cognoſcere utrum maritalem fidem uxor tua, aut alia ſervet? In fronte dormientis pone adamantem, evigilans, quæ ſervat fidem maritalem amplectetur maritum ſuum, quæ autem fidem fregit ſubito ſe e loco proripiet. Aut contere lapidem *Galeriates* dictum, qui in Lybia, & Britannia reperitur, da eum lavandum fæminæ, perfida ſtatim reddet urinam. aut heliotropium lectum menſe Auguſto cum ſol manet in ſigno Leonis involutum foliis laureis ſimul cum dente lupi pone in templo, mulieres quæ fidem conjugalem &c, vide in libro reliqua.

P. 371 Niſi decreta Eccleſiæ damnarent eos, qui uſi fuerant hiſce & ſimilibus ſuperſtitionibus, putaremus a Scriptoribus priorum ſæculorum aut calumniam antiquitati imponi, aut fabulas vetularum illorum temporum deſcribi: quam gratos nos igitur eſſe oportet Philoſophiæ convertenti ea in riſûs objectum, & relaxationum animi, quæ Majores noſtri in numero ſeriæ doctrinæ ac occupationis ponebant, quæque ſimul dedecore illorum ætatem notarunt, multisque damnationis æternæ cauſa exſtiterunt.

CENSURA & RESPONSIO

A pagina 364 ad p. 371. Superſtitiosa, vana & inhoneſta erant omittenda: ne præbeant occaſionem peccati legenti vulgo. Poſſent enim hœc legentes probare, imo de facto probarent multi utrum dicta præſtent effectus ſuos. ℟. Magis ſunt inhoneſta non *adulterabis, non concupiſces uxorem proximi tui,* & quæ continentur in his præceptis: Ergo nec a Parentibus, nec a Paſtoribus, nec a

Præ-

Præceptoribus, ut lex naturæ, Dei, & Eccleſiæ iubet ſunt explicanda vulgo, & lingva vulgari. Quâ ergo pænâ digni ſunt, qui etiam cogunt pueros, puellaſq; hæc diſcere præcepta? Hæc enim poſſent præbere occaſionem experiendi & audientibus, & legentibus. Poſſent enim probare, & defacto probant multi. Theologi morales *hæc vana, ſuperſtitioſa, & multo inhoneſtiora recenſent*, & quod pejus: multi ſupponunt illa vel a natura, vel ex pacto cum dœmone poſſe eſſe efficacia, quod tamen ego utrumque nego. Quid dicam de Authoribus ex inſtituto de hoc argumento agentibus. Centum circiter ſunt, quos ego noſco. Inter eos eminet P. del Rio, qui hæc *vana, ſuperſtitioſa & inhoneſta* tantâ diligentiâ, tantoque ordine diſcuſſit, ac ſi de Religionis dogmate ſtabiliendo ageretur. Vel ergo delenda ſunt ex eorum libris vel non? Si non: ergo nec è meo libro? Si delenda tam ex meo quam ex eorum libris: cur Cenſores eos approbarunt? cur Eccleſia Theologos morales & probat, & laudat, & excitat ad ſcribendum? ſi dicas: Scripta hæc, ut plurimum ſunt liguâ latina: Reſpondeo 1. At multa ſcripta ſunt linguâ vulgari, vel tradu&ta. Sunt libri Gallici, Germanici, Polonici hoc argumentum tractantes. 2. Qui callent lingvam latinam legunt hæc, & vulgo narrant tanquam mira, & efficaciſſima eſſe probant. 3. Unde in vulgo tum multæ ſuperſtitiones? quis eos docuit? non dæmon? ergo homines. Qui illi? nimirum qui ea, quæ in libris latinis legerunt, aut narrant, aut narrarunt Maioribus eorum. 4. Quæ inhoneſta ſunt in una lingua, inhoneſta ſunt etiam in omni. Nam ſive

Græ-

Græce, ſive *hebraice*, ſive latine voces *adulterium vg:*, ſemper in audiente, & legente eadem notio excitabitur. Si ergo omnium ordinum Religioſi hæc ſuperſtitioſa, vana, & multo alia turpiora non inhoneſtum putarunt a ſe ſcribi, cur hæc pauca, & modeſtiſſime a me expreſſa iis verbis, quæ in noſtra lingua etiam in honeſtiſſimis cætibus nemo vereretur proferre, cur, hæc, inquam, tantopere execramini?

2. *Nam primo expoſitio horum prout ſunt in ſe non oſtendit clare eorum inefficaciam* ℞. Hæc argumentatio: Baculus ſtat in angulo: ergo pluit. melius exhibet abſurditatem argumentationis et inefficaciam ad excitandam pluviam, quam ſi mille proferres argumenta probando: baculum non poſſe eſſe cauſam pluviæ. Si quid melius & efficacius habes, cur non produxiſti? Theologi morales & exponunt has ſuperſtitiones, & ſupponunt eas poſſe eſſe efficaces: Ego vero hoc non ſuppono, imo probo hæc nec a natura, nec a dæmone habere vim: deinde addo; hæc prohiberi a DEO ſub pæna damnationis æternæ. Impius eſſet, ſi quis crederet a vobis poſſe produci efficacius motivum ad deterrendos homines ab uſu harum ſuperſtitionum.

3. *P. 363 multi non attenderent ad quæſita propoſita, ſed potius ad ipſas ſuperſtitiones tanquam ad res curioſas, miras, & novas. Qui vero ad ea attenderent poſſent reſpondere: has ſuperſtiones poſſe habere ſuos effectus*, ℞. poteſt aliquis, præſertim puer, non attendere ad particulam negativam *Non*, ſed ſolum ad hæc verba *adulterabis, concupiſces*, et qui attenderet poſſet reſpondere:

quod

quod non DEUS, ſed parentes, & præceptores hæc prohibeant, cum aliunde hæc & curioſa, & jucunda ſint, *& poſſint ſuum habere effectum.*

4. *Partim a natura ea ratione, qua potus fortis liberalius hauſtus efficit, ut ebrius ea dicat, quæ ſobrius cogitabat, ea audeat dicere & facere, quæ ſobrius nunquam auderet: qua cibi aggreſtes juxta dicta p. 359 ſunt cauſa terrorum (viſorum) & tentationum diaboli, qua ungventum, & eius uſus deſcriptus p. 360 præparat ſangvinem ſagarum.* ℞. Poteſt aliquis exiſtimare, & plurimi exiſtimant ita *fornicationem* eſſe convenientem, & neceſſariam naturæ humanæ, ut cibus, potus, & excretio humorum: ergo præceptum ſextum, & nonum non ſunt inculcanda. Poteſt aliquis exiſtimare motum baculi ita nubes rumpere, ſicut ſonus campanarum: Poteſt aliquis exiſtimare Religionem Chriſtianam eſſe tale figmentum, ut fabulæ Poetarum: ergo myſteria fidei non ſunt explicanda. Si quis fuerit tam demens, ut exiſtimet ea, quæ vos ſupponitis, exiſtimabit hæc non occaſione eorum, quæ ſcripſi, ſed vel ex malitia, vel quia aut audivit, aut legit in aliis libris hæc eſſe efficacia, & poſſe, ut vos dicitis, ſuum habere effectum.

5. *Partim a Dæmone ex pacto explicito, vel implicito, qui rebus vanis Deo permittente ſolet ſe immiſcere,* ℞. Qui tam ſceleſtus erit, aut ſine philtris perficiet, quæ cupit, aut ex libris & aliorum narratione plures artes, & illecebras ad ſe ducendos innocentes diſcet. Unde vero vobis quod dæmon aut ferlat, aut ſervet fædera cum hominibus? Scriptura ſacra vocat illum *homicidam, ſpiritum*

ritum mendacii, mendacem, & Patrem eius? Unde ergo illi fides in ſervandis pactis? contractus ſervorum ſunt invalidi, quis vero magis ſervus quam dæmon?

6. *Quique variis artibus, & fraudibus poteſt dictos effectus præſtare ſalva libertate hominis excitando motus indeliberatos, quos deinde voluntas proclivio ad malum, quam bonum ſponte ſua ſequatur quamvis ei poſſet, ſed non niſi difficulter, reſiſtere,* ℟. In hac cenſura continetur implicite hæc propoſitio. *Poteſt dæmon ſuis fraudibus, & artibus ſalva libertate voluntatem inclinare, & aſſenſum obtinere, quem voluerit.* Atqui hæc propoſitio eſt injurioſa DEO, in cuius ſolius manû eſt cor Regis *& quo voluerit, ſalva libertate, flectet illud.* 2. Admittere neceſſitatem moralem peccandi vigente concupiſcentiâ, & tentatione, eſt ſentire cum Luthero *lib: de Lib. arb: p 468 Kemnicio in examine Concilii Tridentini p* 05 *Calvino Lib: 1. de Liber, Arbi: p. 142. Synodo Dordracenſi, & quodammodo etiam cum Janſenio.* Atqui videmini hanc neceſſitatem moralem conſentiendi tentationi admittere, dum dicitis: *Poteſt dæmon variis artibus, & fraudibus dictos effectus præſtare ſalvâ libertate excitando motus indeliberatos, quos deinde voluntas ſponte ſequatur quamvis ei poſſet, ſed nonniſi difficulter, reſiſtere.* Quid enim eſt neceſſarium moraliter? Illud nimirum cuius *oppoſitum neque contradictionem involvit, neque naturæ legibus contrarium eſt, verum aut nunquam, aut fere nunquam contingit.* Quare vero fere nunquam contingit? Quia licet abſolute

ab-

poſſit, ſed tamen nonniſi difficulter fit. Sic dicimus: *neceſſe eſt eum, qui male vixit, male mori*: non quia id abſolute impoſſibile, ſed quia difficile, & raro contingit. Hinc 3 Diſtinguere deberis inter reſiſtere tentationi *negative*, & reſiſtere *poſitive*. Reſiſtere negative eſt *non conſentire*, *non cedere tentationi*: Atqui voluntas tam facile poteſt reſiſtere tentationi non conſentiendo, quam facile amat maius bonum præ minori: nam tentatio, quantumvis vehemens, non proponit bonum niſi creatum, caducum, & apparens: motivum vero retrahens a conſenſu eſt ipſe Deus, in quo continetur omne bonum: Ergo falſum eſt univerſaliter dicere: *Dæmonem poſſe ita concitare motus involuntarios ut illis voluntas poſſit, ſed nonniſi difficulter reſiſtere*. Dicendum ergo potius cum S. Paulo 1. Cor: 10. *fidelis Deus qui non patitur vos tentari ſupra id quod poteſtis, ſed faciet cum tentatione proventum*. *Et cum S. Thoma* 3. p. qu: 70 a 4 *Minima charitas plus diligit Deum, quam cupiditas auri, & argenti*.

7 *Nec id curioſos & vanos, atque ad malum nimis proclives homines abuſu harum ſuperſtitionum retardabit: quod has damnet Eccleſia, quodque eæ fuerint plurimis cauſa damnationis, ut innuit Author, p. 371. Nam nitimur in vetitum, cupimusque negata. Hinc licet homines ſciant etiam alia peccata eſſe a Deo prohibita ſub pœna æternæ damnationis, tamen ea committunt.* R. 1. licet juxta vos homines & ſciunt alia peccata eſſe prohibita, & ea committant, tamen non ſolum non ſunt digni rogo, qui docent alios hoc, vel illud eſſe peccatum, prohiberique a Deo, ſed etiam fulgebunt

ſicut

ſicut sol & apud Deum, & apud homines, qui erudiunt alios ad juſtitiam: cur ergo ego ſolus infelix a vobis damner: quia doceo has & illas ſuperſtitiones a Deo prohiberi? a Juxta veſtra principia non ſolum fruſtra, ſed & noxiè Deus tulit, & promulgavit nobis ſua præcepta, & Eccleſia, Reſpublicæ novas condunt leges Nam *nitimur in vetitum.* &c, & homines *licet ſciant eſſe peccatum eas violare, tamen violant. Peccatum non cognovi* inquit S. Paulus ad Rom: 7 *niſi per legem: nam concupiſcentiam neſciebam niſi lex diceret: Non concupiſces. Occaſione autem acceptâ, peccatum per mandatum operatum eſt in me omnem concupiſcentiam. Sine lege enim peccatum mortuum erat. cum veniſſet mandatum peccatum revixit.., Peccatum occaſione accepta per mandatum ſeduxit me & per illud occidit. Nunquid ergo iniquus eſt Deus, qui infert iram? Abſit: Quid ergo dicemus? lex peccatum eſt? Abſit, lex quidem ſancta, & mandatum ſanctum, & juſtum, & bonum, lex ſpiritualis, ego autem carnalis, venumdatus peccato* En quoque oraculum Poetæ pro oraculo. *Eheu quam miſeros tramite devio abducit ignorantia.* Unde, quæro, in rudi præcipue vulgo, tot ſunt ſuperſtitiones? Num legerunt in libro aliquo hoc, vel illud eſſe utile ad hunc vel illum finem? minime, ſed ab aliis commendari audiverunt: a quibus enimvero? ab iis, qui latinæ linguæ periti, aut alterius, è libris didicerunt. Inter hos vero ſunt: etiam homines Religioſi, qui *habent zelum Dei, ſed non ſecundum ſcientiam*, qui licet contra ſuperſtitiones declament, ſimul tamen & credunt, & docent eas eſſe efficaciſſimas. Dum

ve-

vero decepta plebecula audit a Paſtoribus, Concionatoribus, Miſſionariis hæc eſſe inania, & impia, o quam amaris lachrymis errorem ſuum deflet? cur Deus in Eccleſia conſtituit *Doctores, & Paſtores?* ut docerent, *Docete omnes gentes.* At docentibus non credent: *Qui non crediderit condemnabitur.* At hæ minæ curioſos & vanos non reddent dociliores? *Si me dicente ad impium: Impie morte morieris non fueris locutus, ut ſe cuſtodiat impius a via ſua: ipſe impius in iniquitate ſua morietur, ſanguinem autem ejus requiram de manu tua. Si autem annunciante te ad impium, ut a viis ſuis convertatur, non fuerit converſus a via ſua ipſe in iniquitate ſua morietur, porro tu animam tuam liberaſti.* Ezech: c. 33 v. 8: 9. At forte aut in deſperationem incidet, aut tanto liberius fræna laxabit cupiditatibus, quanto brevius victurus, & fruiturus voluptatibus? *Ipſe in iniquitate ſua morietur.* At quotidie homines eandem cantilenam audiunt *morieris*, & tamen de peccato in peccatum ſaliunt? *Ipſi in iniquitate ſua morientur porro tu animam tuam liberaſti.* Hinc Concilium tertium Turonenſe celebratum Anno 813 hæc Parochis præcipit: *Admoneant ſacerdotes fideles populos, ut noverint magicas artes, incantionesque quibuslibet infirmitatibus hominum nihil poſſe remedii conferre, non animalibus languentibus, claudicantibusve, vel etiam moribundis quidquam prodeſſe, vel ligaturas oſſium, vel herbarum cuique mortalium adhibitas prodeſſe: Sed eſſe laqueos & inſidias antiqui hoſtis, quibus ille perfidus genus humanum decipere nititur:*

&

Examinante ergo, & probate num eſt Spiritus Dei, & Eccleſiæ, qui condempat ad rogum eos qui indicant, monent, docent, & probant magicas, & ſuperſtitioſas artes nihil prodeſſe. Eccleſia clamat: *Moneant Sacerdotes incantationes, herbas, ligaturas eſſe ſolum laqueos, & inſidias antiqui hoſtis, nihilque poſſe conferre remedii*: Moneo. Vos vero contra è regione vociferamini cum imperio, & convitiis: conſcende *ſcandaloſe, inhoneſtè, & inepte rogum*: nam poteſt aliquis putare hæc, vel a natura, vel ex pacto implicito poſſe ſuum habere effectum. Deus præcipit: *dic Impio morte morieris*: dico: Vos contra: conſcende rogum: nam hæc vanos, curioſos, & proclives ad malum non retardabunt.

8 *Satius igitur erat has ſuperſtitiones plurimis ignotas magna parte ex libris prohibitis excerptas omittere, quam longum earum Catalogum texere.* ℞. Si aliqua ex his ſunt plurimis ignota, at alia ſimilia ſunt nota etiam pueris, ut propria experientia didici, & quod peius creduntur eſſe efficacia. 2. Facillime quoque hæc omnia quivis diſcit tum ex libris obviis, & omni lingvâ ſcriptis, tum ex quotidiano ferme ſermone. Dum vero diſcent ex libro meo inanitatem horum omnium, ipſi ſibi prohibebunt lectionem librorum prohibitorum, quos fortaſſe tentarentur legere non obſtante prohibitione Eccleſiæ. Forte in hoc maximam vim cenſuræ veſtræ ponitis, quod hæc ſumpta ſint è libris prohibitis: ergo jubete concremari libros Bellarmini, & alios Theologos pro religione pugnantes: nam eorum libris multa continentur è libris prohibitis, idque ipſorum

Cory-

Coryphæorum erroris; ut Lutheri, Calvini &c.
3. Si generatim dixiſſem de philtris, magis acuerem deſiderium ſciendi: exiſtimarent enim ideo ſupprimi, quia ſunt efficacia ex natura, quemadmodum plurimi docent. Ambages quibus nonnulla obvolvuntur acrius irritant animum, ut illa ſcrutetur. *Aquæ furtivæ dulciores, & panis abſconditus ſuavior Prov: 9 v. 17* Agyrtarum præſtigiæ, dum latent, admirationem, dum deteguntur, contemptum movent.

9 *Et dein verbo dicere ab Eccleſia damnari.* ℞. Prius dixiſtis *prohibitio Eccleſiæ vanos, & curioſos, non retardabit ab uſu harum ſuperſtitionum,* hic autem poſt aliquot lineolas dicitis retardabit: quia addendum fuiſſe indicatis: *hæc ab Eccleſia damnari.* Nam ſi hoc addendum: Ergo retardabit, ſi vero non retardabit, cur addendum? Ego vero conſtanter aſſero authoritas Eccleſiæ tanto efficatius abſterrebit etiam vanos, ab uſu harum ſuperſtitionum; quanto illæ enucleatius exponentur: tum enim rudiſſimus quivis intelliget, cauſas, quæ adhibentur non eſſe proportionatas ad effectum, qui promittitur. Deinde, quæro ex vobis: quodnam eſt efficacius motivum reſpectu omnium generatim hominum an *præceptum Dei cum pœna æterna, an prohibitio Eccleſiæ?* Utique dicetis prius. Videte ergo quam vobis iterum contradicatis, & ad huc turpius. Dixeram Philtra prohiberi a Deo, & ab Eccleſia, fuiſſeque multis cauſam damnationis æternæ. Vos vero ſeveritate Catonica, at non Catholica mox oppoſuiſtis: *Hæc vanos & curioſos non abſterrebunt.* Nunc

dicitis: *ſatis erat generatim dicere de Philtris; dein addere, idque verbo ſolum, ab Eccleſia damnari*: Ergo iuxta vos, & efficacius eſt motivum prohibitio Dei, quam prohibitio Eccleſiæ: & non eſt efficatius. Eſt efficacius, ut conceditis, & concedere debetis, & non eſt efficatius: quia iuxta vos *hæc vanos, & curioſos non deterrebit*, at prohibitio Eccleſiæ deterrebit, ideoque illam, etiam ſolo verbo, addendam fuiſſe indicatis. Niſi forte inſinuare nobis velitis: quod quando prohibitio Dei vobis non probantibus adducitur, non eſt fortius motivum prohibitione Eccleſiæ, ſed quando vobis probantibus ſola etiam prohibitio Eccleſiæ, licet unico verbo; pro motivo adducitur, tunc hæc efficacior evadit ad abſterrendos vanos & curioſos ipſos ab uſu ſuperſtitionum ipſà prohibitione Dei. Non miror hæc abſurda non fuiſſe a vobis obſervata monſtra enim, quæ in libro meo vidiſtis, etiam Herculis ipſius mentem conturbaſſent.

Complector paucis quæ dicta ſunt utrinque. Dixi Philtra non producere effectum, qui illis tribuitur ex natura ſua, nec ope dæmonis: Vos contra: at poteſt aliquis exiſtimare illa eſſe efficacia vel a natura, vel ex pacto dæmonis. Hâc itaque cenſurâ tollitis omnem diſciplinam, & inſtitutionem, imo ipſam Hierarchiam Eccleſiaſticam, quam ex parte conſtituunt Doctores: Nulla enim doctrina eſt tam vera, tamque ſancta, cui ab impiis, & inſanis contradici non poſſit. Miror itaque quomodo vos viri Religioſi ſtante hâc veſtrâ perſvaſione auſi fuiſtis docere Theologiam. Nam iuxta veſtra principia docere illam *eſt*

ſcan-

ſcandaloſum: cum multi poſſint inde occaſionem ſumere errandi. Sic e g. dum probaſtis exiſtentiam, unitatem, veracitatem, &c, Dei, adventum, & divinitatem Meſſiæ, Trinitatem Perſonarum &c, poterant aliqui diſcipulorum veſtrorum eſſe, imo defacto fuerunt, qui melius intellexerunt objectiones Atheorum, Polytheorum, Arianorum, Socinianorum, Judæorum, Lutheranorum &c, quam veſtras probationes, & ſolutiones!

Ego vero hiſce non abſterrebor a docendo. Scio enim non id eſſe ſcandaloſum unde aliqui occaſionem ſumunt peccandi: nam omnia ſacra occaſionem præbent Sacrilegiorum, Veritas, & revelatio errorum, & hæreſum, beneficia Dei ingratitudinis? &c ſed id eſt *Scandaloſum quod ex ſe natum eſt inducere alios ad peccatum.*

Dixi: Philtra prohiberi a Deo ſub pæna damnationis æternæ. Vos conrra: at hæc vanos & curioſos non retinebunt: nitimur enim in vetitum. Hâc cenſurâ damnatis omnes leges tam divinas, quam humanas, ipſumque lumen rationis: nam niſi hæc exiſterent non niteremur in vetitum, non cuperemus negata. Fovetis ſocordiam eorum, quibus alios inſtruendi incumbit cura, imo eos retrahitis ab obedientia Eccleſiæ ſumma ſollicitudine curantis, & præcipientis inſtruere populum. Ad quid enim docere? ſi docendo mali patrandi occaſio præbetur, ſi motiua retrahentia vanos, & curioſos non retrahent a malo? Damnatis, Providentiam Divinam: quaſi illa non utatur ſufficienti motivo ad retrahendos homines omnino omnes, & ab omni peccato dum

ad ſervandas ſuas leges excitet nos comminatio-pænæ æternæ.

LOCUS LIBRI.

Pag: 373 v. 10. Videtur equidem Diabolus deſinendo cruciare poſſe illudere hominibus ſpecie ſanandi morbos. At conceditne id ill Deus? & p. 374 v. 4. virtutem ſanandi morbos dedit Deus hominibus propter propagationem Evangelii, ut attraheret Judæos & Paganos ad Chriſtum.

CENSURA ET RESPONSIO.

1. *Dixerat author p 471 quâratione Diabolus poſſit eſſe cauſa infirmitatis, inquiens: id facere poteſt aut debilitando, extendendo, deſtruendo, vulnerando aliquam partem, aut detinendo, vel violenter commovendo humores corporis humani. His poſitis dicendum videtur: fieri poſſe dæmonem deſinendo nocere, non tendendo amplius partes ſolidas, aut fluidas non commovendo, vel non detinendo, idque ſublatis ſignis a mago poſitis, ad quorum poſitionem ex pacto implicito, vel explicito cum mago inito nocebat, poſſe ſanare.* R. Nec Scotus ſubtilius ratiocinar poſſet! Poteſt Dæmon ceſſare vulnerare, ſolidas partes extendere, commovere & detinere fluidas: Ergo & poteſt ſanare. Idem eſt ac ſi diceres: Poteſt lictor amputare caput, vulnerare, extendere partes ſolidas, luxare membra, veneno, aut alio liquore conciliare, & oppio retardere humores, & poſtea ceſſare, Ergo & poteſt ſanare. Quaſi idem eſſet *ceſſare cauſare morbum, & ſanare*. Partes vulneratæ ſtatimne coeunt, & concreſcunt? debi-

bilitatæ tenſæ, ſtatimne naturaliter redeunt ad ſuum ſtatum? partes fluidæ inordinatê motæ ſtatimne reſumunt motum convenientem? Qui fregerunt crus, luxarunt membrum, ſubierunt quæſtionem, ſtatimne convaleſcunt? Quibus aura frigida, aut largior hauſtus cauſavit febrim: hoc eſt: concitavit inordinate humores, ſtatimne morbo liberantur, dum aut potare ceſſant, aut calidam auram reſpirare incipiunt? Machina corporis noſtri tanto artificio eſt conſtructa, ut vitium in ſolidis, & fluidis fieri non poſſit, quin tollatur æquilibrium fluidorum, & ſolidorum, & quin deordinatio conſequatur in toto corpore: adeoque nulla eſt cauſa naturalis tantæ virtutis, ut quod læſum eſt naturaliter in momento, in momento quoque ſanare poſſit, & ad priſtinum integrè ſtatum reſtituere, alias repentina morborum ſanatio immerito inter miracula recenſeretur.

Deinde: Etſi deſinere nocere, & ſanare idem, ſaltem quoad ſpeciem, eſſet, tamen hæc veſtra argumentatio non valeret ad me oppugnandum: cum pro ratione non ſolum impotentiam dæmonis, ſed voluntatem Dei adduco non permiſſuri, ut id dæmon etiam videatur operari, quod Deus elegit ad fidem, & pietatem in nobis promovendam. Quare probandum a vobis erat. *Dæmonem non ſolum poſſe deſinere nocere*: de hoc enim nemo dubitat, *ſed Deum etiam ipſi permittere ita deſinere nocere, ut videatur ſanare.*

2 *Nec obſtat virtutem ſanandi datam eſſe a Chriſto ad diſcernendos ſervos Dei, a ſervis Diaboli: Nam cultores Dei ſanant invocando Deum, manus imponendo, & fine bono, Magus autem,*

ſui

ſeu Diabolus deſineret nocere ſublatis ſignis. Imo videtur Diabolus poſſe ſanare applicatis, aut præſcriptis naturalibus medicinis. Si enim homines, quo ſunt peritiores artis medicæ, eo gravioribus morbis medentur, contingitque non raro, ut curent morbos, qui ab aliis minus peritis, exiſtimantur incurabiles. videtur id etiam poſſe Diabolus. R. Neſcio quem impugnatis, nam ego non negavi dæmonem poſſe ſanare, ſed nego id ipſi a Deo permitti. Oſtendite ergo a Deo ipſi hanc datam facultatem. Ego cum Gloſſa, Origene, Benedicto XIV, & aliis dico: Deum ſibi reſervaſſe præſtare hominibus beneficia vel per ſe, vel per ſuos ſervos. Dæmoni autem ſuo inimico non concedere hanc facultatem. Producite vel unicum Magum divitem, & tamen dæmon creditur cuſtos theſaurorum, producite ſanatum ab illo, quem vos omnibus medicis melius noſſe naturam morborum, & medicamentorum aſſeritis: producite aliquem ope dæmonis è tormentis, è carcere, & morte infami, atque acerba, qua venefici plectuntur liberatum, & tamen ope Angelorum bonorum legimus plurimos ex his malis liberatos. Cur vero hoc? quia Angelis bonis permittit, malis non permittit. Quodſi vobis hæc ratio non arridet iniicite in rogum opera Benedicti XIV, ex ipſo enim illa eſt ſumpta. Agens enim de ſangvinis S. Januarii ebullitione, adducit Putignanum ſic docentem: *Licet efficere ebullitionem in ſanguine concreto non excedat vires dæmonis, Deus tamen nunquam permittet, ut id faciat dæmon, quod ipſe elegit ad augendam, & fovendam fidem, & pietatem.* Et rectè: quâ enim ratione di-

diſcerneremus opera Dei, & dæmonis? An ex fine, ut vultis, malo? at quis, præter Deum, aut magi, aut dæmonis poteſt cognoſcere finem? Nonne & Diabolus ſe transformat in Angelum lucis? An ex verbis & ſignis? verum & Magi poſſunt imponere manus, invocare ore Deum, & corde dæmonem, facere cruces, &c, & defacto homines ſuperſtioſi utuntur rebus ſacris: Quod vero de pactis, & ſignis dæmonis cum Mago innuitis pudet audire Theologos tantos pſitacorum, & graculorum more non examinando ea, quæ alii repetunt, loquentes! Prius examinare debuiſtis, eſtne fundamentum aſſerendi dæmonis voluntatem & virtutem pactis & ſignis alligari? quomodo hæc pacta fiant? an poſſint fieri &c?

3 *Cum omnibus medicis melius norit natùras morborum, & cauſas, virtutem, & efficaciam medicinarum, ut aſſeruit author p. 77 90: 378, & 279!* ℞. Nolo eſſe tam liberalis ac vos, in numeranda illa moneta, qua vos ſolvitis quæſtiones, & difficultates dicendo: *hoc omnino falſum.* Sat eſt ſemel dixiſſe. Legite reſponſionem ad cenſuram paginæ 278. Quodſi vero conceſſiſſem, non ſolum male argueretis, ſed etiam vobis ipſis bellum indiceretis. Nam in cenſura ultima paginæ 278 ſic contra me arguitis: *Ex cognitione non ſequitur vis efficiendi: ſic cognoſcimus ecclipſim ſolis & Lunæ, non tamen eas poſſumus efficere*: hic vero contra ratiocinamini *Dæmon cognoſcit naturam morborum & medicamentorum: Ergo ſanare poteſt.* Ergo ex cognitione juxta vos & ſequitur, & non ſequitur vis efficiendi. Solis vobis, ut video, impune nugari licet. Quid dicam de mor-

bis

bis incurabilibus? Quid de repentina ſanatione etiam ordinariorum morborum? Et ſi hæc dæmonem poſſe probaretis, quod nunquam probabitis, tamen ad huc reſtaret demonſtrandum: id dæmoni a Deo permitti, quod hic ego nego.

4 *Nec obeſt: quod Diabolus non ſoleat benefacere, ut ait Gloſſa quam adducit Author p. 373 ram imo ſi non nocere cum poſſis eſt beneficium latronum, ut ait Cicero, multo magis deſinere nocere.* ℞. Neſcio quo tela veſtra colliment? Videmini omnino Andabatarum more pugnare. Nam 1. Quando ego aſſerui aut diſinere nocere eſſe beneficium, aut dæmonem non poſſe deſinere nocere? imo debet aliquando deſinere. 2. Deſinere nocere nec eſt idem quod ſanare, nec idem quod videri ſanare, ut oſtendi: Hic vero ago de curatione morborum a dæmone tam vera, quam apparente. 3. Deſinere nocere non eſt beneficium, ſed poſſet per fraudem dæmonis videri beneficium: ideoque dico: *Licet poſſet fortaſſe dæmon deſinendo nocere videri ſanare,* tamen *Deus nec hoc facere illi permiſiſſet: ne illa ſanatio videretur eſſe opus Dei.* Et hoc eſt quod intelligit Gloſſa dum dicit: *Dæmon non ſolet benefacere,* ideſt: nec vere, nec ad ſpeciem ſanare, ut patet ex verbis Evangelii, in quæ hoc ſcripſit.

5 *Cum Diabolus hanc ſantionem ſive deſinendo nocere, ſive medicinas præſcribendo ad eum finem dirigeret, ut homines in ſuperſtitione, & aliis peccatis retineret, utique non faceret bene.* ℞. Tantumne vobis eſt otii, & animi, ut ludere verbis velitis in re ſeria, & ſcribendo ſententiam condemnantem ad rogum, quam duriſſimi etiam judices non ſine doloris ſenſu ferunt? Veſtra enim argumentatio

ſimilis eſt huic: *Qui rem, pretioſam donat alteri ex vana v. g. gloria non benefacit, ſed hic homo rem pretioſam donat ex vana gloria::ergo non benefacit* An non ſole clarius eſt non agi hic de fine, & honeſtate actionis, quam non convenire dœmonibus ex inſtituto probavi p. 273, & 276, ſed de bonitate Phyſica, ſeu de beneficio, in quo non attenditur, quo quis fine illud faciat, modo alteri faciat bene. Ago enim de curatione morborum a dæmone: adduco verba Judæorum: *Nunquid Diabolus poteſt aperire oculos cæcorum?* Adduco Gloſſam in hunc locum commentantem, & verba Judæorum confirmantem: Adduco Originem docentem: *Dæmonem deſtruere res poſſe quidem, at in integrum reſtituere non poſſe.* Adduco deinde Benedictum XIV citantem Putignanum. An non ſatis hæc ſunt, ut verba Gloſſæ: *dæmon non ſolet benefacere*, intelligatis de beneficio? Cur ergo cavillamini ſubdole ratiocinando? *Dæmon ſanaret malo fine: Ergo non benefaceret.* Quid hæc valent contra meam aſſertionem probantem: *Dæmonem nec malo fine, nec vere, nec apparenter poſſe ſanare* Si dæmon malo fine poſſet ſanare non benefaceret quidem, hoc eſt: non ageret *honeſté*, ſed benefaceret, hoc eſt: *præſtaret beneficium.* Crederet aliquis vos ex occaſione cæcinati, cuius hic mentionem facio, voluiſſe his argutiolis experiri an habeam donum ſanandi eos, qui ſponte fiunt, aut fingunt ſe eſſe cæcos: ſed ingenuè profiteor, me hôc donô curationum carere.

Rogare tamen poſſum, ut aperiatis oculos, & videatis cuius opinio melius cohæreat cum men-

te

te Eccleſiæ & Conciliorum, mea, an veſtra? Concilium Turonenſe ſuperius a me citatum præcipit, *ut ſacerdotes doceant fidelem populum magicas artes, herbas, incantationes non poſſe mederi, neque quidquam remedii adferre hominibus, aut animalibus languentibus, moribundis.* Vos vero docetis: poſſe dæmonem deſinendo nocere, & applicando, atque præſcribendo remedia, vel tollendo ſigna mederi, & ſanare: Deliberate ergo, quibus verbis, quôve ritu, & præcipuè ut ſine offenſione & fidelis & infidelis populi, condemnabitis ad rogum Concilium Turonenſe à Concilio Tridentino approbatum.

DEMUM UNIVERSALITER.

CENSURA I.

1. *Nec ad initium, nec ad calcem huius primæ partis poſita eſt facultas R. P. Provincialis, licet poſita ſit facultas Jlmi Loci Ordinarii* R. Non eſt poſita facultas R. P. Provincialis: quia eam Jlmus Loci Ordinarius ſibi oblatam pro more non ſubſcripſit, ſed ſolum approbationem Cenſoris ſui diæceſani. Quâ de re ſtatim monui modernum R. P. Provincialem, tunc Rectorem Collegii. Hinc quotquot editi ſunt libri Varſaviæ a noſtris, & aliis Religioſis in nullo legi approbationem & facultatem Superiorum Ordinis.

2 *Et Judicium unius è noſtris privati.* ℞. Hic privatus inter nos eſt publicus Cenſor Diæceſeos. cuius approbationi Jllmus L. O. ſuum ſolum voluit adſcribere nomen.

3 *Hæc igitur addenda erat* (*ſi obtenta fuit*) *ne noſtri ſibi putent* licere ſine facultate ſuorum ſuperiorum cum ſola facultate loci Ordinarii vulgandi libros, a ſe conſcriptos, ℟, Iniurioſa vobis viſa eſt, ut vocatis, *expoſitio* diverſitatis victus occupationum, ſuperſtitionum inter Nationes, de qua omnes Hiſtorici & Geographi ſcribunt, quanto vero iniurioſior eſt hæc veſtra cenſura plurimis Perſonis, de quibus non ſolum nemo ſcripſit, ſed ne forte ſuſpicatus eſt, quæ vos illis imputatis? Nihil dico de me: nam videmini diſpenſationem obtinuiſſe, ut me velut hircum illum expiatorium veſtris erroribus, criminationibusque oneraretis: Sed iniurioſa hæc veſtra cenſura eſt imprimis toti Provinciæ noſtræ: ſupponit enim in illa inveniri tam ignaros inſtitututi, ut poſſint putare: licere ſibi curare imprimi libros ſine facultate ſuperiorum. Iniurioſa eſt Superioribus Provinciæ noſtræ, quos ſupponitis eſſe tam negligentes, ut neque plectant in tam gravi re violantes inſtitutum, neque occurrere ſtudeant tam noxiæ ſuorum ſubditorum temeritati. Iniurioſa eſt Typographiæ: quaſi illa furtivos libros ſuſcipere, & imprimere audeat. Miror vero vehementer, dubitari de facultate ſuperiorum: cum ſervem apud me litteras R. P. Aſſiſtentis ad R. P. Caſimirum Sobolewſki tum Rectorem collegii, a quo iuſſu R. P. Provincialis collecta & Romam miſſa fuerunt judicia Cenſorum Provinciæ.

EN IPSAM EPISTOLAM

Rnde in Chriſto Pater Rector.

Librum cui titulus *Examen de Vampiris* idiomate vernaculo conſcriptum, quatuor Reviſorum

ſententiâ probatum ſi ab officio quoque Epiſcopali probatus eſt, permittit in lucem edi Admodum R. Pater noſter. Commendo me caræ ſuæ benevolentiæ & SS. Sacrificiis Romæ 29 Maij 1771. Reverentiæ Veſtræ Servus in Chriſto humus Carolus Korycki. S. J. *mp.*

Authoritate harum literarum liber non clam non furtim cæpit imprimi, & impreſſus vulgari ſed ſpectantibus, & probantibus Superioribus totius Provinciæ.

CENSURA 2da.

Addenda erat Annotationum uniformis poſitione (uti factum) ad initium ponantur vulgi ſermone, circa medium latino. dein tum vulgi tum latino.
℞. Jtane non audiſtis a Concionatoribus textus citari iam latino, iam vulgi ſermone? Jtane non legiſtis in libris latinis citationes iam Græcas, iam Jtalitas, Gallicas, &c, in libris vero vulgari ſermone ſcriptis citationes latinas, & aliis peregrinis lingvis? Sumite in manus Epiſtolas Ciceronis, aut quod forte vobis magis obvium vel unicum volumen Benedicti XIV. videbitis integra folia impleta ſententiis, & narrationibus Italicis. Cur hæc fiant? Iniuriam vobis facerem, ſi explicarem.

CENSURA 3tia.

Deſideratur in hac parte ordo quidam rerum, quæ explicantur ſeu methodus: ne promiſcue agatur de omnibus, & confuſioni obviam eatur. Videtur autem ordo exigere, ut primum agatur de exiſtentia Angelorum 2. de Natura eorum 3. de Differentia eorum quo ad ſpeciem. 4 de Differentia accidentali ac denique de aliis, ita ut omnia ca-

tenæ

tenæ inſtar connectantur, non vero ſint inſtar aureorum annulorum lic t, ſed a ſe invicem diſiunctorum. In hac autem parte p 41 agitur: An Diabolus poſſit movere ſubſtantias materiales: Exiſtentia autem Angelorum probatur ap. 181. Item p. 317 explicatur quæſtio an Lucifer habeat aliquem Principatum in cæteros dæmones: deinde ſine ulla connexione adiungitur p 319 de locutione Angelorum. Item p. 334 agitur de ritibus Africanorum, ſubiungitur autem p. 343 An quilibet habeat Angelum cuſtodem. Attendus itaque erat ordo tanquam anima rerum.

℞. Non puto vos ignorare me eſſe Profeſſorem Theologiæ: cur ergo inanem ſumpſiſtis laborem exſcribendi è Theologorum lucubrationibus ordinem quem illi paſſim in Tractatu de Angelis ſequuntur? Notus eſt ille etiam Theologiæ tyronibus, quanto magis docentibus? Quodſi ſcire vultis quare vulgarem methodum, quam docendo ſum ſecutus, non ſum ſecutus ſcribendo: relegite initium libri; ibi diſcetis propoſitum mihi fuiſſe non tractatum de Angelis ſcribere, ſed examinare opinionem de vampiris, eo quod perſvaſio de eorum exſtentia funeſtiſſimas in noſtra regione edat ſtrages tam inter mortuos, quam vivos, eſtque plurimarum ſuperſtitionum, & ſacrilegiorum cauſa. Cum vero & hæretici & Libertini huius ætatis alii credulitatem vulgi arripiant pro telo ad oppugnandam certitudinem Religionis, alii aut rideant, aut in dubium revocent exiſtentiam Angelorum, & præcipuè dæmonum, non alienum ab argumento putavi hoc quoque religioni obſequium præſtare, ut impugnando vampiros hoſtes

ge-

generis humani exiſtimatos, hoſtibus etiam veris Religionis arma excuterem. Quod ut perficerem, neceſſarium erat oſtendere opiniones vulgi ſuperſtitioſas non pertinere ad dogmata Religionis, & dogma catholicum de exiſtentia Angelorum ſtabilire. Qua propter orſus ſum a poteſtate dæmonis movendi corpora: quia illa & directè pertinet ad quæſtionem de Vampiris, & ſimul occaſionem præbet gradum faciendi ad oppugnandas alias opiniones ſuperſtitioſas noxias Religioni. Poſt hoc quaſi ſolvendo obiectiones de exiſtentia, & natura Angelorum ago: hâc enim negatâ, ut negatur a plurimis, rueret totum id, quod dixi de poteſtate dæmonis. Has quæſtiones interrumpo iam quæſtionibus, iam narrationibus amænioribus ad ſtabiliendum tamen argumentum, quod tracto, plurimum ſervientibus, ut hâc ratione & genio Gentis, qui narrationibus hiſtoricis capitur, indulgerem, & lectoris Theologicis, & abſtruſis quæſtionibus inſveti varietate ſatietati, & tædio occurrerem. Quodſi methodum Theologorum ſecutus fuiſſem non ſolum a ſcopo mihi propoſito receſſiſſem, ſed vix etiam ab aliquo legerer. Non a Theologis? nam hi meliores Tractatus de Angelis ad manus habent: non a vulgo eruditorum: Nam a quæſtionibus ſeverioribus, & abſtractis abhorret. Quia vero orſus ſum ab iis quæſtionibus, quæ in quotidiano ſermone a vulgo etiam diſcutiuntur, tam avide expetitur, ut quod ſervire deberet ad librum commendandum, aſſumatur pro argumento ad illum condemnandum. Similitudo a catena non eſt magni pretii, neque me devincit: Nam vos ipſi

pvæ-

præferretis annulos aureos disjunctiſſimos compedibus ferreis etiam conjunctiſſimis. Quod vero videmini fateri obſervaſſe vos annulos aureos in meo libro, veritas ab invitis hanc extorſit confeſſionem. Non æſtimantur illi quidem a vobis viris Apoſtolicis. & Religioſis amatoribus paupertatis, & contemptoribus auri, & argenti, propterea quia non ſunt coniuncti ita ut vos vultis, at non ideo perdent pretium apud peritos æſtimatores.

SENTENTIA.

Adm: Reverende in Chro P: N. Generalis.

Cum prima pars Libri de natura, poteſtate, & ſcientia Dæmonis, ſeu de Vampiris idiomate Polonico impreſſa plurima contineat *contradictoria. inhoneſta, ſcandaloſa, erronea*, quorum multa ſeparatis foliis ſunt notata, cenſemus eam ſupprimendam, & ita ſupprimendam ut omnia exemplaria comburantur, ne ullum in manus cuiuſquam deveniat. Quod ſi tamen Author queratur, mentem ſuam ab interprete non eſſe expreſſam poteſt ei concedi, ut totam hanc partem latine ipſe reddat, atque iterum examinandam Romam mittat; atque ea, quæ eius ſcriptis opponuntur, ad ſingula reſpondendo, ſeparatim diluat; aut certe in eadem materia novum opus latine ſcribat, omnibus mature perpenſis, in ordinem digeſtis, digreſſionibus ad propoſitum non facientibus omiſſis. Quod opus ſi omnibus numeris fuerit abſolutum, certe in Urbe probabitur: & poterit etiam vulgari idiomate in lucem edi. Ita cenſemus, ſalvo, Ex foll: Rom: 19. Martii 1773. N. N. &c.

EXA

EXAMEN

Sententiæ latæ contra librum de Natura & poteſtate Dæmonis.

Nero necdum dominatione depravatus dum nomen ſuum ſententiæ capitali adſcribere cogebatur, dicere ſolebat: *Quam vellem neſcire literas:* Et merito: *cum non trioboli res ſit hominem neci dare. Et nulla unquam de morte hominis cunctatio longa eſt.* Quid porro dixiſſet, ſi aut probationes, aut crimina falſa fuiſſent? Non dubito eundem ſenſum vobis fuiſſe, dum contra me tam ſeveram, tamque acerbam, & ignominioſam ſententiam ſcriberetis, verum graviſſimæ cauſæ vos ad eam ferendam impulerunt, quas ſigillatim in cenſura expoſuiſtis, generatim vero in ipſa ſententia indicatis: nimirum quod liber multa contineat *contradictoria, inhoneſta, ſcandaloſa, erronea* cum vero verear ne alicui temerario expendenti ſingulas has cauſas, eaſque cum cenſura & reſponſione conferenti veniat in mentem optare, ut melius literas diſceretis, obſervantia mea erga vos poſtulare videtur, ut vos invitem, ad inquirendum quid illud ſit, quod huic, occaſionem præbere poſſit opinioni.

1. *Contradictoria.* Quis imprimis non ſuſpiciat fidem, & modeſtiam veſtram? In cenſura enim ſolum dicebatis: *videri ſibi Authorem contradicere*: In ſententia vero abſolute pronunciatis: *in libro multa contineri contradictoria.* At inter *videri, & eſſe* contradictoria magnum ſæpe, ſi ita loqui licet, interiacet chaos: ſic hæreticis

mul-

multæ veritates revelatæ videntur pugnare cum verbo Dei, num tamen propterea Catholici, qui illas veritates credunt, & defendunt, pugnant cum verbo Dei? Quare autem videbar vobis pugnantia loqui? Quia nimirum ego de alliis, vos de cæpis, ego de capite, vos de cauda dæmonis loquebatis. Ego cantilenam canto, vos ad alium numerum ſaltatis: hinc haud mirum ſi diſſonantia canere vobis videor. Sic e.g. ego nego *Gentiles cognoviſſe verum Deum, & affirmo illos ſciviſſe exiſtere Supremum Numen.* Affirmo: *dæmonem habere quidem potentiam, ſed nego habere capacitatem coſcendi tantum, quantum Angelus, ut eſt ſubſtantia incorporea* & intellectiva cognoſcit. Vos cognitionem *veri & ſupremi Numinis, potentiam & capacitatem* ſeu facultatem cognoſcendi pro uno eodemque ſumitis. Ego dæmonem nego eſſe bonum *Philoſophum, ideſt ſapientem,* qualis Angelus naturaliter eſſe poſſet, vos probatis illum eſſe bonum logicum: quia bene eſt argumentatus, aut Philoſophum, qualis eſt aliquis è ſecta Ariſtotelis, Platonis, vel Newtoni &c. Quid dicam de aliis ſpectris contradictionum, quibus ignorantia notionum, aut opinionum oculos veſtros faſcinabat? Indicare hæc in reſponſione non neglexi? Quis ergo eſt in culpa quod in libro meo viſi eſtis videre bella, & pugnas? Non ego? non cenſores Provinciæ, ſed aut oculi, aut memoria, aut mala fides, aut animus martius pugnandi avidus cenſorum.

2. *Inhoneſta.* Miror manum veſtram tam caſtam, & pudicam auſam fuiſſe ſcribere hanc vocem, quæ non ſolum in ſcriptis Religioſorum, ſed ne in ſæcularium quidem, iuxta veſtras regu-

las, tolerari deberet: nam hæc vox *inhoneſta*, obiicit, atque repræſentat menti legentis quidquid eſt turpis, & venerei.

Propoſitio *inhoneſta, ſeu ut vocant Theologi* piarum aurium offenſiva eſt: *quæ verbis minus caſtis aptiſque libidinem provocare conſtat.* Porro inhoneſta, quæ in libro meo notaſtis hæc ſunt. *Oſculari infra caudam, vel poſterioria dæmonis. amor mulierum, Philtra, ponere in mamma* (vertendum erat ut ſonat in noſtro idiomate *in parte dextera pectoris*) *minget, urinam mittet* (hæc vertenda erant potius: *mittet aquam*, quæ phraſis honeſtior eſt apud nos ac apud latinos, *exonerare veſicam*. ac idem fere quod apud Gallos: *faire, lacher, de l'eau, aut elle ne retiendra ſon eau.* ut eſt in libro quo ad verba) En omnia caſtiſſimarum aurium offendicula.

Quæro iam hæ phraſes vel ſunt minus caſtæ ex ſe, vel ex fine? Non ex ſe: nam Scriptura ipſa fons omnis caſtimoniæ noſtræ has continet, & Eccleſia caſtiſſima ſponſa Chriſti in templo a ſacerdotibus, atque populo etiam vulgari ſermone recitari, cani, & explicari præcipit. Sic: e. g. *Poſteriora mea oſtendam tibi: benedictus fructus ventris tui: beata viſcera, quæ portaverunt, & ubera, quæ lactaverunt. Conceptus, natus, &c, hoſtemque noſtrum comprime, ne polluantur corpora. Non adulterabis, non concupiſces uxorem &c Neque adulteri, neque molles, neque fornicarii neque maſculorum concubitores regnum Dei &c. Pulchra virgo Abiſaig verum fovens David?* Quid dicam de Canticis Canticorum? Quid de aliis phraſibus longe quo ad ſpeciem turpioribus hin

&

& illinc in Scriptura ſacra, & officio Divino occurrentibus?

Non ex fine: nam his phraſibus non utor ad proritandam libidinem, ſed ad incutiendum horrorem eorum, quæ narrantur, ſcribunturque de incubis, de conviviis ſagarum, de volatu earum, de mediis conciliandi amorem, & detegendi ſecreta cordium: quæ opinio magnorum virorum, & Scriptorum authoritate ſuffulta perget, niſi occurramus, faſcinare etiam eruditiores homines vulgo, atque ſic funeſtiſſimas animarum edere ſtrages, & Eccleſiam Chriſti probroſiſſimis ſuperſtitionibus, & portentoſiſſimis ſceleribus conſpurcare, hæreticorumque cavillationibus, convitiis, atque contemptui exponere.

3 *Scandaloſa. Propoſitio ſcandaloſa eſt illa, quæ per ſe nata eſt proximum inducere ad peccatum, eumque ab exercitio virtutum retrahere.* Totus liber meus eſt in eo, ut Eccleſiam Chriſti purget ab iis ſupeſtitionibus, quæ & filios eius corrumpunt, & hoſtibus arma ſubminiſtrant: qua Religione audetis aſſerere: *Librum meum continere multa ſcandaloſa.* hoc eſt ea quæ per ſe nata ſunt proximum ad peccatum inducere, & ab exercitio virtutum abducere? Excutite Bibliothecas invenietis innumeros prope libros a Theologis, a Religioſis hominibus ſcriptos, narrantesque crimina, confeſſiones, operationes, modosque operandi Magorum, & Veneficorum. Quare homines tot crimina perpetrabant? quare ſe totos Magiæ, & dæmoni conſecrabant? Quia dedicerunt ab aliis hæc, & illa facientibus dæmonem præſto eſſe. Ergone ego ſcandaloſus propterea

 quod

quod credulos dedoceam? quod cæcos de præcipitio moneam? verbo quod doceam: dæmonem nihil poſſe præſtare eorum, quæ ab ipſo præſtari viri etiam probi, & eruditi credunt, & docent? An illud exiſtimatis eſſe *ſcandaloſum* unde impii, & in omne ſcelus proiecti occaſionem poſſunt ſumere peccandi? Ergo iuxta vos nihil eſt tam ſanctum, & ſacrum quod non ſit ſcandaloſum? ſcandaloſæ ſunt leges Divinæ, ſcriptura ſacra, Religio, Sacramenta, opera bona: *Nam niſi hæ* exiſterent non eſſent *prævaricatio, inobedientia, hæreſes, ſacrilegia &c.* Scandaloſa eſt *incarnatio verbi Divini, doctrina, miracula, mors.* Nam *ſi non veniſſem & locutus, fuiſſem &c. Si opera non feciſſem peccatum non haberent.* Quanquam liber meus ne occaſionem quidem dici poteſt præbere ad malum. Sicut qui *docet aureum vellus eſſe figmentum*, non præbet occaſionem ſuſcipiendi labores, quos ſuſceptos fuiſſe fingunt Poetæ ad illud obtinendum: ita dum dico: *volatum eſſe impoſſibilem, convivia, unguenta, aliaque ſagarum inſtrumenta eſſe commenta: Philtra nec a natura, nec a dæmone habere poſſe vim & efficaciam*, nunquid prudenter dici poſſum præbere occaſionem occidendi infantes, utendi Philtris, aliiſque ſagarum adiumentis? Quodſi in eadem accuſatione perſiſtitis, excutite ergo veſtras conſcientias an expiaſtis aliquando apud ſacerdotem ſcandalum illud horrendum, quod præbuiſtis adoleſcentibus dum docendo ſeveriores diſciplinas adducebatis pro exemplo *Hirco Cervum*: nam juvenibus vanis, & curioſis præbuiſtis occaſionem profundendi in retia, & canes ditiſſima patrimonia, ut venatione

po-

potirentur tam mira, tamque belliula bellua. Credite mihi hoc eſſe verum, & non exiſtimatum ſcandalum, *condemnare ad rogum erudientes alios ad juſtitiam, & conantem purgare Patriam, & Eccleſiam ſuperſtitionibus quæ altas egerunt radices: imputare docentibus, & inſtruentibus ſcelera, a quibus deterrent.* Concilium Turonenſe, totaque Eccleſia monet, hortatur, præcipit, ut *ſacerdotes doceant fidelem populum ſuperſtitioſa unguenta, herbas, &c eſſe ſolum præſtigias dæmonis*: vos vero ſic docentes accuſatis tanquam corruptores fidelis populi. Quid veſtro judicio injurius Eccleſiæ, & pernitioſius fideli populo? Larvâ pietatis contegitis ſpiritum ſchiſmatis, ſpiritum inobedientiæ Eccleſiæ, zizania in agro Domini multiplicatis, nec frumentum conſervatis. Minus noxius eſt Religioni hoſtis apertus, quam ſic ſubdole ei blandiens.

4. *Erronea.* In tota veſtra cenſura nulli propoſitioni meæ hoc ſtigma inuſiſtis. Dixiſtis quidem *alia eſſe evidenter, alia omnino falſa.* at nunquam uſi eſtis hoc termino *erronea.* Fortaſſe *falſum, & erroneum* vobis videtur eſſe idem: at pace veſtrâ non idem videtur Philoſophis, & Theologis.

Propoſitio Philoſophice *falſa eſt illa, cuius obiectum aliter ſe habet, ac ipſa enuntiat.*

Propoſitio *Theologicè falſa eſt ea, quæ factum aliquod, quod ad fidèm pertineat, eique nocere poſſit veritati contrarium enuntiat*: E. g. ſi quis negaret quinque famoſas propoſitiones a Pontificibus damnatas ex libro Ianſenii fuiſſe excerptas, piopoſitionem enuntiaret falſam, quæ inſupe

poſt damnationem harum popoſitionum in ſenſu Janſenii iuxta aliquos eſt *heretica*. Quodſi propoſitio non pertinet ad fidem, nec ei eſt nociva, nonpoteſt illi nota falſitatis Theologicæ inuri. Unde opiniones Philoſophicæ, licet abſurdæ, non debent notari ab Eccleſia, niſi ſaltem indirectè fidem lædant: quo ſenſu quædam damnatæ fuerunt a Concilio Lateranenſi.

Propoſitio *Erronea eſt illa, quæ eſt contraria veritati, quæ ex revelatis infertur, quæque propterea, ut virtualiter revelata a SS. PP, & Eccleſiæ Doctoribus communi calculo traditur.*

Jam quocuoque ſenſu ex his ſumatis hunc terminum *Erronea* nulli illum ex meis propoſitionibus convenire demonſtraſtis, & tamen acſi poteſtate eſſetis præditi res definiendi ſine hæſitatione, & conditione ulla pronuntiatis: *Librum multa continere erronea.* Demonſtraſtisne obiectum alicuius propoſitionis meæ aliter ſe habere, ac illa enuntiat? aut negari illâ factum aliquod ad fidem pertinens? aut continere opinionem doctrinæ virtualiter revelatæ contrariam? Aſſeruiſtis quidem aliqua *evidenter*, aliqua *omnino falſa* videri: at quale illud *Videtur*? Parcite ingenuitati meæ, quis enim ſemel cæptum ſermonem tenere poteſt? Mallem carere oculis, quam ſic videre: nam carere mihi eſſet malum, cogererque quærere ductorem, male vero videndo & me, & alios decipere, atque perdere poſſem. Attuliſtis etiam aliquando & rationes: at quam ſolidas? Puderet me uti ſimilibus ad exercendos logicæ ſtudioſos: nam tenera etiam ingenia non levi, ſed ſolido cibo

ſunt

ſunt nutrienda, & roboranda. Demus etiam aliquas illarum aliquid roboris habuiſſe: iamne eo ipſo jus acquiſiviſtis librum ad rogum damnandi? Eſtne verum aliquod quod oppugnari non poſſit? vulgare eſt proverbium: *Anum unam poſſe breviſſimo temporis ſpatio plures proponere quæſtiones, & opponere difficultates, quam centum Philoſophi per plures annos ſolvere.* Veſtra argumenta, ut ut ſolidiſſima vobis videantur, ſi tamen comparentur cum argumentis Atheorum, Deiſtarum, Arianorum, Socinianorum, aliorumque veræ Religionis hoſtium ludus ſunt puerorum, & telæ aranearum, quas muſca perrumpit: quis tamen veritates ab eis oppugnatas aut falſas, aut credentes & propugnantes rogo dignos judicabit? Quodſi etiam vobis viſa fuiſſent ſat firma ad ſubruendas penitus meas aſſertiones, tamen ad huc imitanda erat moderatio Eccleſiæ matris, & judicis omnium noſtrum, quæ licet in materia graviſſima, ad mores ſcilicet, & illius ſanctitatem vindicandam, & promovendam pertinente tamen non obſtantibus ſolidiſſimis argumentis, & importunis ſollicitationibus non codemnat ad rogum, nec fortaſſe unquam condemnabit, & opiniones, & opinantes, atque docentes, & ſcribentes probabilia relictis probabilioribus? Nihil dico de opinionibus ab Eccleſia toleratis, quæ tamen aperte probantur a multis adverſari ſcripturæ & conciliorum definitionibus. Vos ipſi dum eratis Magiſtri fuiſtisne tam felices in ſeligendis opinionibus, ut nihil illis opponi poſſet? veſtra doctrina num ab omnibus ſemper probabatur? vos plurimorum, plurimi veſtrum ſenſum damnabant?

num

rum tamen vel vos, vel illi digni rogo fuerunt? Non arbitror.

EXAMEN
PROPOSITIONUM EX CENSURA ROMANA EXCERPTARUM.

Qui ciceris grana eminus proiecta acû excipiebat modium ciceris ab Alexandro accepit, *inquit Quintilianus*. Non ſum par certare vobiſcum, ut pote impar vobis & armis, & robore. Nam ſi mihi lingua eſt, vobis & lingua, & dentes: ſi mihi promptum eſt dicere, & reſpondere vobis & dicere, & facere: Ego calamo, vos ferro & igne pugnatis. Spero tamen vos non aſpernaturos munus ipſo Alexandro dignum. Minutias; quæ nec granum ciceris valent, tanta animi contentione ex libro meo excerpſiſtis, & compulſaſtis, ac ſi grana ciceris acû ſecerneretis, & exciperetis: æquum eſt igitur, ut vobis reſpondeam, veſtraque in me officia pari officio in examinandis Cenſuræ quibuſdam propoſitionibus gratificer.

PROPOSITIONES

1.

Solvet ſæclum in favilla teſte David cum Sybilla.

Hæc propoſitio, iuxta regulas Cenſorum, eſt & *falſa & ſcandaloſa*, ut oſtendi in reſponſione, ¶. 11.

2.

Non poteſt probari libros aliquos apocryphos confictos fuiſſe a Catholicis, & maxime in primordiis Eccleſiæ : nam illis temporibus Catholici ſanctiſſimi fuerunt.

Hæc propoſitio eſt, & *falſa, & ſcandaloſa, & contraria verbo Dei, & iniurioſa Bœ Virgini S. Joanni Bapt: Apoſtolisque* ut oſtendi in reſponſione, & inſuper *hæretica :* Supponit enim illis temporibus Catholicos tam ſanctos fuiſſe omnino omnes, ut nullus eorum, etiam bonâ fide, potuerit librum apocryphum ſcribere, & vulgare. At Eccleſia Chriſti etiam tum fuit ſimilis *areæ,* ubi triticum & palea Math: 3. *ſagenæ,* in qua omnis generis piſces Math: 13 *Convivio nuptiali,* ubi etiam non habentes veſtem nuptialem accumbebant Math: 22. *Virginibus prudentibus & fatuis* Math: 25 *ovili,* ubi oves, & hædi Math: 25 *Magnæ domui* in qua ſunt vaſa aurea & argentea & lignea & fictilia, alia in gloriam alia in contumeliam. 2 Timoth: 2.

3.

Hæreticis igitur hæc graviſſima mendacia, ſcilicet omnes libri apocryphi, *ut authoribus tribuendi, quia illi ſemper improbi fuerunt, non vero Catholicis.*

Hæc ſententia eſt *ſcandaloſa, & captioſa,* ut pote, quæ ſub ſpecie Religionis docet & mentiri & calumniari arguendo mendacii alios ſine fundamento.

4.

4.

Judæi tenebantur Chriſtum credere eſſe Meſſiam etiamſi nulla feciſſet miracula.

5.

Etſi verum ſit: miracula vere talia evidens eſſe motivum credibilitatis illius veritatis, in cuius confirmationem fiunt, non ſunt tamen unicum, & ita neceſſarium motivum, ut ſine illo alia non ſufficiant ad inducendam obligationem credendi, ut notum Theologis.

6.

Judæi tenebantur credere Chriſtum eſſe Meſſiam propter ſolam eius prædicationem: imo propter ſolum teſtimonium aut Magorum, aut Simeonis, aut Annæ, aut Paſtorum, aut Joannis Baptiſtæ, & non credentes committebant peccatum lethale.

Propoſitiones 4. 5. 6. & aliæ in Cathalogo aſſertionum, & obiectionum ſub *Aſſertione* 4 recenſitæ *favent hæreticis & impoſtoribus*, ſuntque Eccleſiæ Chriſti *pernicioſæ*, ut pote tollentes neceſſitatem evidentiæ motivorum ad credendum fide Divinâ, adeoque coincidentes cum propoſitionibus damnatis a me in probationibus citatis. *p. 37. prob:*

7.

Verba Chriſti ſi opera non feciſſem peccatum non haberent intelligenda ſunt de miraculis quorum Chriſtus initium fecit in Cana Galileæ.

Hæc

Hæc propoſitio eſt temeraria, & falſa: quia ſine ullo fundamento hæc aſſerit. 8

Plebs Judæorum ſi non credidiſſet non viſis miraculis potuiſſet excuſari, non vero Doctores, & Principes Judæorum, qui etiam non viſis miraculis credere tenebantur.

Hæc propoſitio: *eſt contraria verbo Dei*: nam Deus tam plebi, quam Doctoribus pro ſigno, ex quo cognoſcere debebant Meſſiam aſſignavit miracula, & tam plebi, quam Doctoribus neceſſaria erant ad credendum motiva evidentia credibilitatis. Chriſtus quoque ſine ullo diſcrimine pronuntiat: *Si non veniſſem & locutus fuiſſem &c. ſi opera non feciſſem peccatum non haberent* ſcilicet tam plebs, quam Doctores.

9.

Et hæc eſt una cauſa inter alias, quod Dominus Samaritanos Joa: 4 converterat ſine miraculis, & diſcipulos, ſeu Credentes in eum aliquos ante miracula habuit, ut ſermonem, atque prædicationem ſufficientem fuiſſe ad credendum oſtenderet.

Hæc propoſitio eſt *& falſa*, & *temeraria*: ſine ullo enim fundamento tribuit Chriſto hunc finem. Eſt etiam *blaſphema* aſſerit enim Chriſtum voluiſſe oſtendere non fuiſſe neceſſarium, imo inutile ſignum ab ipſo Deo datum, ex quo cognoſci debuit Meſſias: dum prædixit eum recipiendum pro Meſſia, qui ſe talem miraculis probaturus eſſet.

10.

10.

Erant prædicta quidem miracula, quæ Meſſias patraturus erat, at non erant expectanda, ut crederetur Chriſtus Meſſias.

Hæc propoſitio eſt *impia*: docet enim non fuiſſe habendam rationem eius ſigni, quod Deus ipſe aſſignavit ad dignoſcendum Meſſiam, adeoque docet faciendum fuiſſe contra præceptum Dei.

11.

Populus Judæorum credidit Joannem eſſe Meſſiam, & tamen miraculum non fecerat, Et Aliorum 5 duos paulo ante in Meſſiam receperat, & tamen illi nihil operati fuerant: quo pacto ipſimet Judæi teſtimonium contra ſe perhibuerunt non poſſe a peccato excuſari non credentes: quia nondum miracula, aut nondum omnia, quæ erant prædicta fecerat.

In hac propoſitione multa continentur *falſa*, & *pernicioſa*, ex illa enim ſequentes deducuntur concluſiones 1 *Falſum eſt populum* Judæorum credidiſſe Joan: eſſe Meſſiam, ſed Principes Sacerdotum miſerunt ad illum quærendo: *Tu quis es?* 2 Peccarunt, juxta Cenſores, Judæi non credendo Chriſto: *quia nondum miracula*, aut nondum omnia, quæ prædicta fuerant, fecerat: Ergo peccarunt credendo, & obediendo Deo, atque expectando eventum earum rerum, quæ a Deo prædictæ erant, & quas Deus expectare juſſit. 3 Duos impoſtores Judæi recipiendo in Meſſiam, licet illi nihil operati fuerant, leviter crediderunt, & peccarunt: Ergo & Judæi credendo Chriſto abſque miraculis leviter

cre-

crediidiſſent, & peccaſſent. Jam vero juxta Cenſores Samaritani, & diſcipuli, Chriſto crediderunt abſque miraculis, ergo leviter crediderunt, & credendo peccarunt. 4 Judæi Impoſtoribus crediderunt fide humanâ, & levi, & credendo contra ſe teſtimonium perhibuerunt non poſſe a peccato excuſari non credentes: Ergo & Chriſto tenebantur credere ſolum fide humana, & levi, & condemnarunt ſe: quia tali, tamque levi fide non crediderunt Chriſto, ut crediderunt Impoſtoribus: Ergo condemnarunt ſe: quia ſic credendo leviter, ut impoſtoribus, non peccarunt.

12.

S. Joſeph, Eliſabeth crediderunt Chriſto non viſis eius miraculis.

Hæc propoſitio eſt falſa? revelationes enim illis factæ erant vera miracula Chriſti.

13.

Nathanael credidit Chriſto ſine miraculis.

Hæcpropoſitio *contraria eſt teſtimonio Evangeliſtæ* quod ipſi Cenſores adducunt.

14.

Judæi tenebantur Chriſto credere, abſque miraculis: nam Chriſtus erat verus Deus, & homo. Et quando prædicabat & ſermonem ſuæ doctrinæ diffundebat, non ſolum aures, & ſenſus movebat, ſed Divino motû interius corda excitabat ita, ut qui vellent poſſent credere, nec eis deerat auxilium neceſſarium.
Hæc propoſitio *favet hæreſi, & Impoſtoribus*: excludit enim neceſſitatem evidentiæ motivorum

cre-

credibilitatis: adeoque coincidit cum propoſitionibus damnatis in probationibus a me citatis.

15.

Tenebræ impediunt viſionem.

Hæc propoſitio, ſi rigoroſe ut facitis, accipiatur, eſt Philoſophice *falſa*, ſicut & ſequens.

16.

Niſi lux aliqua adſit res prorſus videri non poteſt Num in cælo erit lux, ſeu materia ætherea? & tamen ſancti, & beati in corpore videbunt etiam oculis corporeis proportionata obiecta.

17.

Si corpus ita confert ad cognoſcendum Deum, pro ut tenebræ ad videndum, ſequitur: quod & nos hic in corpore exiſtentes non poſſimus cognoſcere Deum, imo nec beati in corporibus glorioſis poſſent cognoſcere Deum.

Hæc propoſitio *favet errori Anomæorum, Beguardorum, Beguinarumque* ſupponit enim quod ſicut anima habet potentiam naturalem cognoſcendi Deum *abſtractive*, quam impedit corpus, ita habet quoque potentiam naturalem videndi Deum *intuitivè*, quam impediret corpus, ut impedit cognitionem abſtractivam clariorem, quam anima ſeparata habere poſſet.

18.

Niſi lux aliqua adſit res prorſus videri non poteſt: proinde dicendum potius: corpus ita conferre

ad cognitionem ſicut color ad viſionem: qui nec officit, nec proficit:

Hæ propoſitiones *Philoſophice acceptæ ſunt falſæ* quo ad utramque partem: *Theologice* vero, *& conjunctim ſumptæ* favent materialiſtis, aut Antropomorphitis, ut oſtendi in reſponſione. p. 140. n. 7.

19.

Ignorans invincibiliter myſteria fidei poteſt ſalvari ſi modo ſervet legem naturalem, & ſupernaturalem, ſi eliciat actus ſupernaturàles fidei, ſaltem de Deo ut Remunerator e, actus ſpei, & charitatis, & contritionis perfectæ.

Hæ propoſitiones ſe mutuo evertunt. Aſſertio ſubruit explicationem, explicatio evertit aſſertionem. Quid dicam de aliis abſurdis in illa contentis, ut taceam ignorantiam ipſius aſſertionis notionum, quæ ſe aperte prodit. Nam quæſtio inter Theologos agitatur: *an ignorans invincibiliter myſteria fidei poſſi ſalvari ſolam legem naturalem ſervando.* Alii Theologi reſpondent affirmative: alii negativè: vos vero conceditis illum ſalvari poſſe, modo ſervet legem & *naturalem, & ſupernaturàlem,* & eliciat *actus ſupernales fidei, ſpei* &c. At quomodo poteſt ſervare legem *ſupernaturalem,* & elicere actus ſupernaturales, qui ignorat legem *ſupernaturalem,* ſcilicet myſteria fidei, & ignorat obiecta, & motiva ſupernaturalia? Ergo iuxta vos ille homo & eſſet ignorans invincibiliter myſterya fidei, & non eſſet: teneretur ſervare legem ſupernaturrlem, & non teneretur: poſſet ſalvari ut conceditis cum ignorantia invincibili myſteriorum fidei, & non poſſet:

quia

quia deberet ſervare legem ſupernaturalem, & elicere actus ſupernaturales. 2 Dicitis poſſe eum ſalvari ſi innocenter vivat, ſumendo ſcilicet innocentiam non *late*, ſeu non pro ſola *non traſgreſſione legis naturalis*, ſed etiam ſupernaturalis. At prius videre debuiſtis ignorantem myſteria fidei nec poſſe transgredi *legem ſupernaturalem*: quia illam ignorat. Deinde hâc innocentiæ explicatione iterum evertitis theſim, quam explicatis. 3 Dicitis ignorantem invincibiliter myſteria fidei poſſe ſalvari, ſe *eliciat contritionem perfectam*: Unde vero hoc vobis, quod ille ignorans teneatur elicere actum contritionis? Jlle enim ignorat *peccatum originale, actualibus autem caret*: quia ſupponitur eſſe innocens, & ſervaſſe legem naturalem: de ſupernaturali autem nihil ſcit. 4 Dicitis debere ignorantem myſteria fidei elicere *actum fidei de Deo, ſaltem ut Remuneratore*. At quomodo eliciet actum *ſupernaturalem fidei*, qui nullum audivit prædicantem, nec ſcit quidquam de revelatione? Hanc ignorantiam theſis tam celebris inter Theologos, & hanc contradictionum turbam, quis tolerare poteſt in Theologis?

20.

Etſi verum ſit: non poſſe dari longo tempore & maxime eo, quo urget præceptum ſupernaturale ignorantiam invincibilem Dei, ut Remuneratoris.

Juxta multos Theologos adultus ne ad breviſſimum tempus ignorare poteſt exiſtentiam Dei. Juxta alios vero poteſt ad breve tempus, verum

non

non urgente præcepto quocunque. Vos vero dicitis; *non poſſe dari ignorantiam invincibilem Dei urgente præcepto ſupernaturali.* Ergo 1. Juxta vos poteſt dari ignorantia invincibilis Dei urgente præcepto naturali: Ergo perconſequens poteſt dari peccatum Philoſophicum: quod eſt damnatum. 2 Ergo ſupponitis poſſe dari invincibilem Dei ignorantiam longo tempore, imo toto vitæ curriculo: 3 nam poteſt toto vitæ tempore non urgere *præceptum ſupernaturale*: cum revera dentur homines, etiam vobis fatentibus, qui toto vitæ tempore nihil audiverunt de revelatione DEI, & Chriſto,

21.

Tamen cum hæc plurimi ignorent, imo nec ſcientibus ea ſemper occurrant.

Hæc propoſitio, ut pote ex priore ſequens, videtur dicere: plurimos eſſe, qui invincibiliter ignorant Dei exiſtentiam.

22.

Ad faciendum bonum nemo dæmonibus tribuit cognitionem, niſi forte Origenes:

Hæc propoſitio eſt falſa, ut oſtendi in reſponſione.

23.

Principatus Dæmonis fundatur quidem in natura ipſorum Angelorum, conſummatur autem & completur partim ex communi conſenſu voluntario eorundem Angelorum, partim ex ordine Divinæ ſapientiæ & Providentiæ.

Hæc propoſitio quo ad primam partem eſt *falſa*. nam ſi fundaretur in natura ipſorum Angelorum Principatus cum poteſtate & juriſdictione, daretur etiam inter bonos Angelos. Eſt

etiam *falſa quo ad ſecundam partem* : quando enim Luciper eſt electus in Principem ? & quod nam eſt fundamentum hoc aſſerendi ? Eſt etiam *abſurda* : quomodo enim dæmones ſe ſubjeciſſent Lucipero, qui Deo ſubeſſe noluerunt ? Eſt *blaſphema*? quaſi Deus compiere & conſummare poſſit id, quod totum tendit, & ordinatur ad illius offenſam, & contemptum, & ad perniticm hominum. Eſt denique *contraria verbo Dei* ? nam ſcriptura dicit: *in Inferno nullum eſſe ordinem*. Inſuper continet multa abſurda. Nam ſi fundatur in natura Angelorum Principatus, eo ipſo non conſummatur voluntario conſenſu, aut ſi conſummatur voluntario conſenſu, eo ipſo non fundatur in natura : quod enim convenit alicui ex natura, convenit illi independenter ab aliorum conſenſu, ita, ut ſive quis conſentiat, ſive non, ſemper illi inerit id, quod ineſt ex natura. Sic: ſive velis, ſive nolis te eſſe perfectiorem belluis, ſemper tamen illis præſtabis: quia hoc habes a natura. Poſtremo ſi fundaretur Principatus natura Angelorum vel fundaretur in natura omnium,? vel ſolius Luciperi ? Si in natura ſolius Luciperi : ille fuiſſet princeps Angelorum ante peccatum, & diverſæ naturæ ab aliis, quod quo fundamento aſſeres ? ſi in natura omnium Angelorum, omnes dæmonea eſſent Principes. at ubi & cui imperarent ? niſi velitis eis procurare alios inferos, & alios ſubditos.

24

Dæmon variis artibus, & fraudibus poteſt pellicere homines ad libidinem, aut ad detegenda ſecreta ſalvâ libertate hominis excitando motus in-

de-

deliberatos, quos deinde voluntas proclivior ad malum, quam ad bonum ſponte ſua ſequatur, quamvis ei poſſet reſiſtere, ſed nonniſi difficulter. Hæc propoſitio *favet erroribus hæreticorum*, ut oſtendi in reſponſione. Eſtque *injurioſa Deo*, qui ſolus ſalvâ libertate, poteſt obtinere conſenſum, quem vult, agnoſcitque aliquam *tentationem ſicut gratiam DEI efficacem* talem ſaltem, qualem ſchola admittit Auguſtiniana: imo etiam qualem noſtra. Nam juxta multos è noſtris poteſt *cuilibet, & omnibus* gratiis voluntas reſiſtere *Phyſice*, at non poteſt omnibus reſiſtere *moraliter*, ideoque non datur *voluntas invincibilis*: quod verum etiam eſſet juxta Cenſores de tentationibus dæmonum.

25

Poteſt dæmon ſanare morbos

Hæc propoſitio *eſt impia*: ut pote minuens fiduciam in Deum: *eſt ſcandaloſa*: ut pote inducens homines ad ſuperſtitiones, & opem dæmonis implorandam. *Eſt pernicioſa Religioni* quia detrahit authoritati, & certitudini miraculorum, quibus Religio vera evidenter demonſtratur eſſe a Deo, non a Dæmone, neque ab hominibus, & inter quæ miracula ſunt etiam ſanationes morborum: *Super ægros manus imponent & bene habebunt.*

26

Ut nuditas Parentum a filiis, ſic errores SS, Patrum non ſunt detegendi vulgò.

Hæc propoſitio *eſt captioſa*, quæ ſub ſpecie pietatis venenum obtegit, & apta eſt ſimplicium mentes ſeducere, favetque propoſitioni damnatæ.

27

Non debent populo explicari ſuperſtitiones in particulari: ne inde occaſionem ſumant eis utendi.

Hæc propoſitio eſt *ſchiſmatica*: retrahit enim ab obedientia Eccleſiæ præcipienti docere quid ſit *bonum*, quid *malum*, *quid ſanctum*, quid *ſuperſtitioſum*: fovet quoque *ſuperſtitioni*, eamque fovet: *Eſt captioſa*: quia ſub ſpecie pietatis condemnat omnem diſciplinam, & eruditionem, omneſque docentes, & explicantes populo ſive peccata, ſive myſteria fidei: *fovèt quoque negligentiam eorum*, quibus erudiendi populi cura incumbit.

28

Prohibitio Dei, & damnatio æterna non deterrebit vanos, & curioſos, atque ad malum proclives ab uſu philtrorum, & ſuperſtitionum.

Hæc propoſitio eſt *injurioſa Deo*: ſupponit enim motiva, quæ Deus nobis revelat, & proponit, non eſſe ſufficientia ad deterrendos omnes omnino homines; & ab omni peccato: adeoque quod & Deus reſpectu ſaltem aliquorum hominum inutiliter, fruſtra, & ſine conſilio eis utatur.

29

Illud eſt ſcandaloſum unde aliqui poſſunt ſumere occaſionem peccati:

Hæc propoſitio *eſt blaſphema & impia*. Juxta illam enim nihil eſt tam ſanctum, quod non ſit ſcandaloſum: *adeoque ſcandaloſa ſunt beneficia Dei, Incarnatio, vita, mors, paſſio, doctrina Chriſti, legeſque omnes &c Nam ſi non veniſſem &c ſi locutus*

cutus non fuiſſem; Si opera non feciſſem peccatum non haberent.

CONCLUSIO.

Non eſt alienum a modeſtia religioſa etiam propriæ cauſæ ſuſcipere defenſionem: nam Deus ipſe præcipit: *ut de bono nomine curam habeamus.* Luceat lux veſtra coram hominibus ut videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum qui in cælis eſt. Etſi *cura viris levibus ſolet eſſe novarum* de quo me accuſatis: *cura viris gravibus ſolet eſſe ſuarum:* inquit Mantuanus. Haud tamen metuerem ignem, ſi ſolum librum meum eſſet voraturus: ſpectarem ſævientem, & riderem fumus quidem me denigraſſet fortaſſe aliquantum. Sed tempus, & patientia fuliginem abſterſiſſet, flamma vero obedientiam meam illuſtriorem reddidiſſet. Verum voraciſſimum hoc elementum haud ſatiabitur tam exiguo pabulo: corripiet multos: & imprimis famam; & nomen Reviſorum Provinciæ, imo etiam Societatis ipſius. Jam enim liber in manibus eſt multorum, & iis manibus, è quibus eripere fruſtra conabimur: imo quanto magis laborabimus, tanto fortius retinebunt, juxta oraculum a vobis citatum: *Nitimur in vetitum &c* dicent quidem aliqui ita instructi, & adornati a devotis diaboli hoſtibus: dicent, inquam, *errores eſſe in libro, & magnos illos,* imo ſi placet *nefandos.* At ego id dicere integrà fide non poſſum niſi convincar: convinci vero talibus argumentis, qualia adduxiſtis: imo & fortaſſe nullis potero. Hoc enim argumentum in utramque partem diſputari poteſt, tamque eſt tri-

tum

tem, ut nihil a cuiuſquam ingenio ita novum produci poſſit, quod non a pluribus ſæculis in aliquo iam angulo Bibliothecæ computruerit. Agere vero hâc in re puerum, qui omnia credunt, quod ætate provectiores dicunt, nec ætatem, nec officium meum decet. Vos ipſi indignum me veſtra ſocietate judicaretis, ſi tot conſumptis frugibus, de iis ſaltem rebus, quas docui, & doceo, judicium ipſe ferre non didiciſſem. Dicent itaque alii errores, & nefandos errores in libro contineri, num vero perſvadebunt? mea haud intereſt, ipſi ſudent. Certus ſum tamen omnes Lectores habere oculos, propriiſque plus, quam alienis credere, & fidere. Ego hactenus Advocatum egi cauſæ aliorum, & ipſius Societatis. Quare ſi quid a me liberius dictum videbitur, non mihi, ſed iis, qui veritatis, & æquitatis hoſtes innocentes laceſſunt, imputate. Tempus eſt, ut depoſitâ larvâ talem me vobis, qualis ſum intus, & in cute exhibeam. Non dubito vos omnia optimo animo, & conſilio egiſſe, & ſcripſiſſe. Quapropter haud vobis ſuccenſeo, imo gratias habeo pro labore, & candore: Cuique enim eſt ſuum *Videtur*: quale vero illud? & an *debuerit*, vel *potuerit aliter videri* non meum eſt, ſed eius judicare, qui ab uno quoque noſtrûm & talentorum, & villicationis exiget rationem. Infelix ſervus, qui dicit in corde ſuo *Moram facit Dominus meus venire: & cœperit percutere ſervos & ancillas.. Veniet dominus ſervi illius in die, qua non ſperat, & hora, qua neſcit & dividet eum, partemque eius cum infidelibus ponet.* Lucæ 12. Viciſſim nec vos dicta mea offendere debent. Tela repellere, inter-

torquere, vires, & robur hoſtis deprimere, ſuas jactare, & oſtentare, commune eſt in arena n & Martis, & Palladis deſcendentibus. Vos ipſi, dum theſes defendebatis non hoſtes, non provocantes injuriâ, non ferrô, flammaq; graſſantes, ſed amiciſſimos, a vobiſq; ipſis invitatos, officiiſque ſolis vobiſcum certantes tanquam hoſtes tractabatis. Finitâ pugnâ amicitia, & obſervantia tanto firmiriores ex arena deſcendebant, quanto plura vulnera accepiſſe videbantur. Si mihi alia documenta virtutis, & eruditionis veſtræ deeſſent, ſolus iſte magiſtratus, quem geritis, de illis me convinceret. Neque enim ſocietas famam ſuam, ſuorumque, eorumque etiam vitam, quæ ſæpe ab hac dependet, juditio veſtro ſubieciſſet, niſi vos in utroque præ cæteris excellere probaſſet. Quare poculum etiam iſtud, acerbum licet, & inſalubre, quod mihi propinaſtis, tanquam precioſiſſimum liquorem exporrectâ fronte haurio: quia veſtris manibus eſt confectum, & porrectum. Sed ſi veſtræ poteſtatis fuit eripere mihi famam, & partem magnam vitæ, non erit veſtræ poteſtatis eripere mihi obſervantiam, quæ vobis debetur. Dabam Varſaviæ Anno 1773,

JOANNES BOHOMOLEC